



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

7,-117

LN 1638
ex 1
M



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

ΔΗΜΗΓΟΡΙΑΙ
ECCLESIIS
IN DANIA ET NOR-
VEGIA, TRIBVS PVBLI-
carum precationum diebus 5. 6. 7.
Februarii proponendæ, in vſum
miniſtrorum verbi Dei
Scriptæ
A
PETRO IOHANNE
VINSTRVPIO.



Eſaiæ: 45.
Convertimini ad me & ſalui
eritis.

HAFNIÆ
Impreſsit Iohannes Stockel-
mannus. 1593.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Augustinus lib. soli
loquiorum.

Nihil prosunt lamenta si replicantur peccata: Nihil valet veniam à malis poscere & mala denuò iterare. Persiste ergo in confessione, esto in pœnitentiâ fortiter confirmatus, vitam bonam, quam accepisti tenere non desinas: Propositum vitæ bonæ conserua iugiter.




BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

CONCIO PRIMÆ DIEI
II. PARALIPOMENON capit. 36.

Textus.

SEdechias fecit malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Ieremiæ Prophetæ loquentis sibi ex ore Domini. A Rege quoq; Nabuchodonosor recessit, qui adiurauerat eum per Deum: & indurauit ceruicem suam et cor, vt non reuerteretur ad Dominum Deum Israël. Sed & vniuersi principes sacerdotum & populus præuaricati sunt iniquè iuxta vniuersas abominationes gentium: & polluerunt domum Domini, quam sanctificauerat sibi in Ierusalem. Mittebat autem Dominus Deus Patrum ipsorum ad

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

illos, per manum nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens: eò quòd parceret populo & habitaculo suo. At illi subsannabant nuntios Dei, & paruipendebant sermones ejjus, illudebantq́ Prophetis: donec ascenderet furor Domini in populum ejjus, & esset nulla curatio. Adduxit enim super eos Regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio in domo sanctuarij sui: non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem: sed omnes tradidit in manum ejjus, &c.



Quòd

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Vòd publico præconio conuocetur hiſce diebus Eccleſia, et ſolenni ritu in his Regnis, preces anniuerſariæ, edicto piiſsimi Magiſtratus noſtri fiant, cauſæ impulſiuæ & finales præcipuæ ſunt hæ.

I. Vt vera animi humilitate coram Deo proiecti, & ſenſu peccatorum noſtrorum proſtrati, vltrò & apertè (cum Niniuitis & aliis quibus ſua in tempore diſplicuere ſcelera) magnitudinem præuaricationum noſtrarum, quibus natura noſtra & tota vita horribiliter deformata eſt, in publico Eccleſiæ cœtu agnoſcamus & deploremus, nóſq; ipſos coram tremendo Dei judicio accuſemus, vitam malè actam deteſtemur: & verâ fide in ſpem gratiæ diuinæ erecti, peccati veniam propter vnicum vnici Soſpitatoris noſtri IEſu Chriſti ſacrificium impetremus.

II. Vt Iudicium DEI aduerſus peccata penitius conſiderantes &

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

triſtes ac tragicas rerum perturbationes, quæ ſingulis ferè Regionibus, vrbibus & pagis exitium, & populis omnibus interitum minantur, intuentes, venienti fato occuramus & iuſtiſſimam iram ipſius, ceruicibus noſtris imminentem, lachrimoſis precibus et verâ cordis ſupplicatione anteuertamus: ne terrifica furoris ſui effecta, in nos bello, morbis, fame, alijſq; grauiſſimis maledictionibus & latè vagantibus pœnis, publicè & priuatim exerat: Quòd plurimis hodie gentibus, qui fatis vrgentur ſuis, & pœnas modô luunt, euenire cernimus. Quorum metu & terrore, nos ad officium reuocati, tempeſtiuè rèbus noſtris proſpiciamus: niſi cum ipſis breui perditum ire libeat.

III. Vt delictorum veniam & pœnarum commeritarum, vel auerſionem, vel mitigationem conſecuti: petamus ſeriò nos deinceps regi Dei ſpiritu, & frigidos pigroſq; ad rectè viuendum animos, ejjuſdem virtute

exci-

excitari: Ne excuſſo Dei timore denuò in ſcelera prolabamur, nouis peccatis iram ipſius accumulemus: ac tandem præcluſa ad ſalutam via, in vltrices ipſius manus incurramus: verum potius modeſtè & humiliter ergà ipſum nos gerentes, poſtmodum ab omni impietate, nos cohibeamus, vitamq́ noſtram ſanctè in ipſius timore inſtituamus. Luc. 1.

IIII. Vt cùm hoc extremo eoq́ exvlceratiſſimo ſæculo in medijs Eccleſiæ & politiæ perturbationibus et δαιμονίῳ θορύβῳ καὶ ταραχῇ, quibus Chriſtianus orbis horrendis modis exagitatur, Inq́ domeſticis calamitatibus, in lue illa epidemicâ æſtate ſuperiore graſſante & plurimos abſumente: Quando nil præter horrenda mortis ſimulachra apparebant, alijſq́ infinitis ærumnis, Nos hactenus diuinâ protectione cuſtoditi ſimus, Et etiamnũ quotidie Dei ergà nos plus quàm paternam miſericordiam & clementiam, quâ nos quærere et repertos benedictionibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

suis cumulare non desinit, exerceri & declarari videamus: tantæ bonitatis diuinæ memores, pia gratitudinis vota, publicè hisce diebus reddamus & sacrificium labiorum nostrorum persolvamus: Misericordiam ipsius, quæ sola cavsa est, qvod non consumti sumus, cum Ie- Thren. 3. remiâ Prophetâ celebrantes & deprædicantes.

V. Vt pro omnibus statibus & ordinibus, pro pace & tranquillitate, præcipuè pro Ecclesiæ conseruatione & synceri verbi diuini propagatione, pro Regni Regisq; electi nostri clementissimi, totius etiam Regiæ domus & familiæ, ac Gubernatorum patriæ nostræ dulcissimæ, nostrûm deniq; omnium & singulorum salute & incolumitate impetranda, preces ardentiores ex intimis pectoris nostri penetralibus publicè & communiter fundamus.

Hæ causæ sunt præcipuæ, quæ meritò omnes & singulos mouere & excitare debent, ut considerata

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

rerum omnium perturbatione &
triſtiſsimo ſeneſcentis ſæculi hujjus
ſtatu, quo omnia in pejjus ruunt &
fatis vrgentur ſuis, ſe totos ad pie-
tatis cultum comparent, Deum ſibi
propicium & fauentem oratione
reddant, eiusq́; auxilium implorent,
& quemadmodum prius operam
ſuam contulerunt, ad prouocandam
Dei iram, Ita illi placandæ omnes
ex æquo ſtudeant, atq́; honori ejjus
celebrando ſe modò conſecrent.

Sed dolendum eſt, tam ſtupidos,
ſecuros & frontis adeò perfrictæ
nunc eſſe homines, ſeu, vt verius di-
cam, eò inſaniæ & veſaniæ prolap-
ſos, vt nihili faciant ſalutares admo-
nitiones, apud quos ſacra hæc, ſicut
& reliqua pietatis opera & exerci-
tia vſu vileſcunt, et in ſummum con-
temptum, cùm apud promiſcuam
multitudinem, tùm etiam ſuperio-
ris ordinis homines abeunt: vt neq́;
ſenſu peccatorum ſuorum affician-
tur, nec dulcedine promiſsionum
divinarum alliciantur, Neq́; etiam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Dei flagellum in vindictam impiorum paratum perhorrescant: Sed in suâ sibi blandientes maliciâ, risum rident sardonium, & pœnam nullo ad se modo pertinere iudicant. Quo fit vt summam Dei in se indignationem magis magisq; concitent & inflamment.

Nobis igitur vt prebeatur occasio diligentius cogitandi de præsenti rerum statu & seuerissimo Dei judicio, erga hujjus sæculi impietatem: Nosq; de proprijs nostris peccatis & eorum pœnis rectius judicare discamus, vtq; in eam, quam dixi orandi supplicandiq; curam & studium commodius & melius incumbamus. Proponam hodiè exemplum gentis Iudaicæ horribiliter à DEO per Babylonios punitæ, bello, fame, captiuitate & excidio, propter scelerum atrocitatem. Spectant enim, quæ in Prophetis de gente hac memoriæ prodita inueniuntur & quæ nos modò dicturi sumus, non solum ad populum Israëliticum: verum-

rum-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

rum etiam ad omnium ſæculorum
homines corrigendos & emendan-
dos: Quæ enim priſcis Iudæis anti-
quitus acciderunt, velut typo com-
monefactiones continent vtiles, ad
hæc vltima tempora pertinentes, ſi-
cut monet D. Paulus 1. Corinth. 10.
& Roman. 15.

Ac quamuis præſens ſæculi hu-
jjus ſtatus admodum (vt ſupra mo-
nui) deprauatus, miſer & triſtis ſit:
vt parum proficiant ſuis exhortatio-
nibus, pij fideleſq; Dei miniſtri: In
ſpem tamen bonam erecti ſumus,
Deum benignum & miſericordem,
in tantâ malorum colluuie, aliquem
ſibi piorum cœtum collecturum
eſſe, qui à recto ſalutis tramite non
aberrent, gratiam ejus in vanum
non accipiant, In viâ Cain non abe-
ant, nec flectant genua Baal, aut in
errorem Bileam filij Bozor effun-
dantur, neq; in contradictione chore
incedant: Sed auerſis à vanitatibus
mundi cordibus, tempeſtiuè rebus
ſuis proſpiciant, atq; verâ attentione
&

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

& Zelo DEVM quærant, cognoſcant et celebrent. Deus æternus &
Pſal. 65. miſericors, ipſe dabit voci ſuæ vocem roboris, nec ſinat pia hæc exercitia fruſtra inſtituta eſſe, aut ver-
Eſa. 55. bum ſuum ad ſe redire vacuum: Sed eo nos moueat, ſpiritu illuminet, gratiâ obſignet, & ſuper nos in nomine ipſius congregatos extendat miſericordiam ſuam, vt agnitis peccatis noſtris ad Thronum gratiæ accedamus cum fiducia, quâ aduerſus metum judicii illius confirmati, in ſolâ Chriſti obædientiâ et merito acquieſcamus: ſicq; ſub horum dierum quiete, non modo à noſtris laboribus, ſed etiam peccatis feriabimur, ut diuinorum beneficiorum meditatione, mentes noſtras ad veram pietatem exerceamus, ad ſuplicationum feruorem incitemur, et rectè poſtmodum viuendum erudiamur, AMEN.

Summa autem concionis hujus eſt, Iudæos ante triſtem deportationem in Babylonem, infelix Regni

ni exitium, ac Templi & vrbis ruinam, in tantam prolapſos fuiſſe proteruiam & portentoſam ſecuritatem, vt omnes ſalutares Dei admonitiones, per Prophetas factas, ſurdis auribus negligerent & ex alto deſpicerent, Donec tandem exigente id maliciâ illorum & Dei iuſtitiâ, ſine omni diſcrimine perſonarum, ſexus aut conditionis, ſeueriſſimè puniti ſunt. Quorum exemplo nos, qui non minore hodie ſecuritate torpemus, ad DEI reuerentiam & cultum inuitati, caueamus ne ſimili furore & contumacia πανολεθρίαν nobis accerſamus.

Loci quos Textus hodiernus ordine ſuppeditat ſunt IIII.

I. Primus cauſas calamitatum apud Iudæos & quibus peccatis ſibi cladem & interitum attraxerunt, commemorat.

II. Secundus diligentiam Dei & ſummam indulgentiam in exhortando

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

tando hunc populum ad resipiscentiam, describit.

III. Tertius exaggerat contemptum admonitionum diuinarum & extremam ingratitudinem, erga pios oraculorum diuinorum interpretes.

IIII. Quartus modum horribilis pœnæ & interitus huius gentis depingit.

DE PRIMO.

ZEdechias fecit malum in conspectu Domini, &c.

DEscripturus Esdras (qui Paralipomenωn author creditur) tristissimas pœnas à Babylonijs propter scelera Iudæis inflictas, initio caussam propinquam, & προκαταρκτικὴν iræ Dei & tantæ calamitatis ponit. Et vt Deum Iustissimum excuset, grauissimè Iudæos accusat, eisq; enormia & multiplicia flagitia objicit: idq; non solum in genere: verumetiam, species aliquot delictorum diserte

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

ſertè recenſet, quibus ſe totos ita addixerant, vt amplius nihil in ipſis ſanabile fuerit, quod cùm pauci agnoſcerent: ſe videlicet cauſam calamitatum & pœnarum Deo dediſſe: Imò potius ſibi extra culpam ſe eſſe perſuaderent, omnes in eâ gente ſtatus arguit & tantam tamq́; proiectã impietatem illis temporibus fuiſſe dicit, vt etiam qui ſanctiſsimi eſſe debuerint, prorſus degenerauerint & à Deo ejjuſq́; mandatis longiſſimè receſſerint. Facta igitur veluti ἀνατομῆ totius corporis, à capite ad ſingula membra deſcendit: initio nominans eos penes quos ſumma erat autoritas & rerum poteſtas cùm in politiâ tum in Eccleſia, tandem totam multitudinem promiſcuam perſtringit & accuſat.

A Rege igitur Zedechia exorſus, ipſius ſcelera hoc modo exaggerat. Quod fecerit malum in oculis Iehouæ Dei ſui. Nec erubuerit faciem Ieremiæ Prophetæ ipſi loquẽtis ex ore Dei. Contra Regem etiam Babyloni-

cum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

eum Nebucadnezarem rebellauit. Indurauit cor suum & cervicem suam, vt non reverteretur ad Dominum Deum Israël.

Hæc sunt quatuor gravissima & atrocia delicta, quæ hoc loco Regi objiciuntur. 1. Impietas, seu atrocitas in manifestis delictis, cuiusmodi erant crudelitas, vaga libido, fiducia in externis præsidijs & brachio carneo, &c. 2. Verbi diuini contemptus & irrisio, concionum Propheticarum, seuitia erga Dei Prophetas, præcipuè Ieremiam quem contempserat & in carcerem sæpius conjecerat. 3. Rebellio: violatâ enim iurisiurandi religione, fœdus cum Rege Babylonico ictum rescindit. 4. Induratio seu finalis perseuerantia & contumacia in atrocibus delictis. Talis ipse Rex fuit, qui in primis Deum timere, religionem curare, sanctas leges, disciplinam, publicam pacem et honestatem tueri debebat. Decet namq; eos, qui in eminentiâ constituti sunt: non solum

lum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

ſum externâ majjeſtate, potentiâ & authoritate perſonam ſuam in Republica tueri, ſed etiam omnis generis virtutum, juſticiæ, clementiæ, veritatis & ante omnia pietatis facem ſubditis præferre: Sola namq; apud Deum libertas eſt, non ſeruire peccatis, ſola apud DEVM majjeſtas, clarum eſſe virtutibus, vt præclarè ait Ieronymus.

Etiam principes Sacerdotum.

A Rege ad doctores Eccleſiæ & ſacerdotum principes tranſit, qui νομοφύλακες et veræ religionis propagatores & defenſores deſignati erant diuinitus, quibus id muneris & curæ demandatum erat, vt verbum
purum illibatumq; conſeruarent, 1
vitæ innocentiâ aliis præluceret, 2
Regem & Regni proceres pietatis 3.
& juſtitiæ admonerent, mores vul- 4.
gi obſeruarent, errores & vitia taxa- 5
rent, mala imminentia præuiderent, 6
publicæ ſaluti proſpicerent, ad obæ- 7.
dientiam voci diuinæ præſtandam

hortarentur, & in omnibus diuini nominis gloriam atq; salutem quærerent.

Hi falsâ doctrinâ auditorum animos imbuebant, profanos & idololatricos cultus instituebant, sententiam natiuam verbi diuini per Ieremiam, Obadiam, Zophoniam, Abachuc et alios diuinorum oraculorum nuncios & interpretes corruperunt, atq; obliti legis diuinæ, doctrinam auditorum ingenijs accomodabant, & prurientes vulgi aures mendacijs implebant: Ieremiæ suadenti deditionem illudebant & eos qui consilio ejjus obtemperabant, ridebant & insectabantur.

Jer. 23.

Et populus.

QVo nomine omnes inferiores status complectitur, hic vt per sese πολύτροπος, rudis, rebellis & ignauus ferè existit: Ita etiam leuissimo momento in quæuis scelera impellitur, præcipuè cum in mores superiorum oculos defigat, ad quos ingenium

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

genium & mores vltrò conformat ſuos: vt in verſu dicitur: Scilicet in vulgus manant exempla regentum. Miſerrimus proinde ſtatus eſt: cùm magiſtratus & Eccleſiæ antiſtites, qui aliis vita lex eſſe & bono exemplo præire debebant, ſeſe omnibus flagitijs palàm contaminant, & licentioſæ ac diſſolutæ vitæ occaſionẽ, alijs præbent: vt certatim omnes ordines vno quaſi impetu in horrenda ſcelera ſeſe abripi patiantur, quemadmodum in Textu ſequitur.

Omnes hi præuaricati ſunt præuaricatione iuxta vniuerſas abominationes gentium, et polluerunt domum Domini, quam ſanctificauerat in Ieruſalẽ.

Tranſit nunc à perſonis ad ſcelerum commemorationem, quæ fuerunt cauſæ calamitatum, quibus Dei indignationem in ſe magis magiſq; concitarunt & inflammarunt.

Reſtringit autem illa ad duo capita, ad corruptionem videlicet morum & religionis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

I. recensi Magnitudinem et immodicam peccandi licentiam.

I. De primo inquit, præuaricando præuaricati ſunt iniquè: Eſt in his verbis Hebraiſmus, ſingularem Emphaſin continens, quâ effrenem & immodicam peccandi licentiam atq; inſanabilem malitiam denotat: Quod videlicet ſinguli pro ſua libidine in omne genus ſceleris furenter ruebant, nec vllus apud eos peccandi finis erat: *Sed multiplicando multiplicauerunt ſcelera, Idq; iuxta vniuerſas abominationes gentium.* Quod addit vt ſcelerum atrocitatem amplificet & delinquendi modum oſtendat.

Quæ autem fuerint abominationes gentium, docetur cum in ſcripturâ paſſim, tùm præcipuè longâ illâ enumeratione ad Roman. primo. Vbi Apoſtolus gentes accuſans inquit: Oppleti omni iniuſtitiâ, ſcortatione, improbitate, auaritia malitiâ, &c. Legatur totus locus Pauli.

Inſuper etiam polluerunt domum Domini, quam ſanctificauerat in Ieruſalem.

Alte-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Prophanatio Domus Dei

II. Alterum caput impietatis, profanatio domus à DEO sanctificatæ. Etenim non horrenda solum corruptio morum fuit, sed etiam religionis & sacrorum omnium violatio maxima, de qua Dominus apud Ieremiam capit. 7. queritur. Filij Iuda malè faciunt in conspectu meo & collocant abominationes in domo, quæ nomine meo appellatur, vt eam contaminent, & ædificant excelsa Thophet. Domus igitur nomine vniuersum cultum externum, & quæ tum in vsu sacra erant intelligit.

Cum enim Deus sacrificia & ve- „ psalm.
„ ri cultus rationem ipsis præ omni- 147.
„ bus aliis gentibus tradidisset, legem
„ suam, vitæ morumque præcepta de-
„ disset saluberrima, Hi abrogato &
„ euerso sincero Dei cultu, introdu-
„ xerunt ἐθελοθρησκείας & summam
„ Idolomaniam, sacra Dei violarunt,
„ locum sanctum abominationibus
„ suis fœdarunt & sacris omnibus pro
„ sua libidine abuti non sunt veriti:

Sicut Psal. 78. dicitur: Non custodiuerunt mandata Dei, in lege ejjus noluerunt ambulare, obliti sunt operum ejjus & mirabilium ejjus, quæ ostendit eis, tentauerunt & exacerbarunt Deum excelsum, irritauerunt eum in excelsis suis et in sculptilibus suis, eum ad emulationem prouocarunt. Huc etiam quæ Apostolus citato loco de gentium idolomania dixit referantur, Quum

Rom. 1. Deum cognouerunt, vt Deum non glorificauerunt, neq; ei gratias egerunt: Sed vani facti sunt in cogitationibus suis, &c. Mutauerunt gloriam incorruptibilis DEI, in efformatam imaginem mortalis hominis, volucrum & quadrupedum & reptilium: veritatem Dei mutauerunt in mendacium & seruierunt, rebus creatis pro creatore &c: Hæc fuit illa profanatio, quâ non solum Templũ illud externum & manufactum: sed

1. Cor. 6. & internum, quod Spiritus Dei habitaculum à Paulo dicitur, contaminarunt; dum illud fœdissimè, excusso

Spiri-

Spiritu DEI, omniq; timore ejjus, vitijs ſupra recitatis polluebant.

Extremam itaq; pœnam, anteceſſit extrema impietas, cùm Regis & procerum, tùm populi & quod maximum erat, malitia ſacerdotum ſumma & incurabilis.

Hæc adcõmodantur ad nr̃a ſecula.

Hæc ſi ad præſentis ſeculi mores transferantur, eadem omnino vbiq; locorum reperire haud fuerit difficile, & quidem inter eos qui Chriſtiani nominis profeſſores ſunt maximi, quiq; purioris doctrinæ cognitione, gloriantur vehementiſſimè & Chriſtum aſſiduè in ore habent. Inter hos (inquam) ſumma eſt omnium, cujjuſuis ordinis & loci hominum confuſio, ſcelerum licentia, aduerſus Deum cõtumacia & concionum diuinarum irriſio: vt nec Eccleſiaſtici, nec politici, nec magiſtratus, nec ſubditi, non nobiles neq; plebei, domini vel ſerui amplius, quod muneris ſui ſit faciant. Petantur ex ſingulis ordinibus exempla, & vide mi lector, quantum nos hodie

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

â priſcâ illâ & verè diuinâ majjorum virtute & bonitate diſceſcerimus?

Magiſtratus ſæpè propriæ potentiæ fiſus, à Deo ejjuſq; verbo recedit, quos defendere debebat, opprimit, corrumpit judicia & jus venale habet: Bonæ leges, quæ ad juſticiæ normam omnia moderari deberent, ſunt ſine lingua caput: extinctâ juſticiæ & legis diſciplinâ peccata impunè graſſantur: Potentiores inferiorum bonis inhiant, ſunt χειροδικέες, ſacra contemnunt, ſacrorum miniſtros perſequuntur, ſacraria precio vendunt, crebris potationibus, venationibus, luſibus & rebus ludicris indulgent, remq; ſuam ſic agunt & curant, vt domus magnificas, latifundia, opes deniq; immenſas ſeu iure ſiue iniuria ſibi comparent, idq; vt ſemper ſit quod petulantiæ, luxui et libidini ipſorum ſufficiat: Quidam titulis ambitioſis & illuſtri ac vetuſto genere ſuo faſcinati, omnem diſciplinam faſtidiunt, cupiditatibus peſſimis indul-

gent

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

gent & libertatem in furioſam pec-
candi licentiam conuertunt.

Qui in Eccleſijs doctores conſtituti ſunt, ſæpè doctrinā vel corrumpunt & deprauant, vel auditorū ingenijs accomodant, vel negligenter & irreligioſè tractant: vnde etiam hodie plurima ſchiſmata, triſtes hæreſes, variæq; de verbo & ſacramentis opiniones nouæ et blaſphemæ pullulant & propagantur: vt etiam in errorem ducerentur (ſi fieri poſſet) electi. Quidam ſub DEI nomine & verbo opes & commodum priuatum quærunt: Alij ſceleribus patrocinantur, majjoribus adulantur, & vitijs prætextum faciunt, vt aſſentatiunculis gratiam & lucellum captent: Multi licentioſius viuunt & vitæ conuerſatione diſſolutâ, doctrinam conſpurcant, perditiſq; moribus, plus nocent Eccleſiæ, quam doctrinâ proſunt.

Malorum igitur cumulus jndicium propinqui interitus exiſtit: cùm hi, qui architecti eſſe, & tàm

Status Ecclesiae.

 ex-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

exemptis, quàm doctrinâ instituere alios debebant, nec sanitatem in doctrinâ, nec sanctitatē in vitâ retinent.

In plebe viget enormis & insanabilis malitia, flagitiorũ cohors & aduersus Deum contumacia, extremus verbi diuini contemptus, et admonitionũ diuinarũ despectus maximus, quæ omniũ mentes ita inuasere et occupauere: vt exutâ nunc omni pietate & charitate Christianâ, indomitũ furere videantur, deploratis suis studijs et moribꝰ singuli indulgeant, & vitia contumaciter defendant. In summa nullũ scelus adeò detestabile, quod nostri seculi hominibus non delectabile modò sit & adamabile.

Sunt (me hercle) multi in cœtu Christianorũ commorantes, qui Templa quidem visitant, sacris intersunt, Dei verbum auribus corporis audiunt, sacramenta percipiunt, labijs orant: verum omnia hæc absq; affectu et effectu: non ex radice veræ pietatis, non ex interno cultu puri cordis: sed ex merâ hypocrisi & sanctitate ficta,

obten-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

obtentu pietatis, vitam viuunt flagitiosam. Quid mirum ergo, si vndiq; in nos ira Dei exardescat & improuisis calamitatibus obruamur? Meliora certè fata nobis sperare, aut expectare vix licebit: nisi de innouanda vitæ ratione paulò diligentius cogitauerimus. Hac proinde omniū ordinū & flagitiorū in populo Israëlitico enumeratione, monet nos spiritus Dei: vt cujjuscunq; loci ordinis, aut conditionis simus, ingratitudinē & negligentiā nostram, in audiendo, legendo & meditando ipsius verbū, in ambulando in ejjus timore, in exequendo mandata ejjus & faciendo opus vocationis nostræ, agnoscamus et deploremus. Ideoq; vero cordis dolore, nos ipsos accusemus, cùm ob ingenitam corruptionē, fontem omnis mali, tùm actualia delicta, quibus idētidem Deum offendimus, ac propterea ipsius judicio nos subjjcientes, petamus sordes nostras Christi puro sanguine expiari, ne nobis exitiū attrahant: ipsi quoq; caueamus ne denuo sub peccati iugū redigamur.

DE

DE SECVNDO LOCO.

Mittebat autem Dominus Deus Patrum ipsorum ad illos, per manum nunciorum suorum, de mane consurgens & quotidie commonens: eò quòd parceret populo & habitaculo suo.

Secundus hic locus describit summam diligentiam Dei in curando hunc populum, & ad resipiscentiam exhortando. Quò enim propius instabat fatalis hora, eò diligentius eos per Prophetas admonuit, eoq; majjore bonitate ingratos prosequutus est, optimam expeditissimamq; ex malis emergendi rationem commonstrans. Facit idem omnibus temporibus & locis, nec hodie nos monere, inclamare, vocare & ad resipiscentiam hortari cessat: Quando per verbum suum docet, ministros continuò mittit, signa &

pro-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

prodigia ob oculos ſtatuit, pœnas differt, & nihil non agit vt ad ſaniorem mentem reducat.

Tria hoc loco conſignari poſſunt membra.

Primo, Bonitas Dei in mittendo pios & ſalutares præcones.

Mittebat (inquit) Deus Patrum illorum. Hoc eſt: Æternus ille & miſericors Deus, qui tot tantaq; fauoris ſui jndicia & præclara beneficia erga majjores illorum edidit, ac fœdere cum ipſis icto, illos ſibi perpetuò obſtrinxit: Idem memor hujjus pacti ſui, non vt ſeuerus ſcelerum vindex illicò ſtrinxit rigorem judicij ſui in illos, nec furioſo impetu iram præcipitauit ſuam, Sed reſipiſcendi tempus illis conceſſit.

Mittens ad illos per manus nunciorum ſuorum. Hoc eſt: per miniſterium Prophetarum quorum operâ ad vocandos & corrigendos impœnitentes idemtidem vſus eſt. Ex quorum numero Ieremias fuit, qui Jerem. 25. 52.

matu-

„ maturè cladem huic genti præcinere
„ cœpit, & integris 41. annis prophe-
„ tauit, ad ipſam vſq; in Babylonem
„ deportationem. Hic acerrimè in po-
„ puli vitia inuectus eſt, excidium vr-
„ bis & templi graphicè prædixit, cap-
„ tiuitatem 70. annis duraturam præ-
„ ciſè definiuit, & populum ſæpè mul-
„ tumq; ad pœnitentiam hortatus eſt,
„ ſed fruſtra. Nam Dei bonitate & to-
„ lerantia ad peccatorum ſuorum per-
„ nitioſa augmenta proteruè abute-
bantur.

Obſeruetur hoc loco ſingularis lo-
cutio, qua Deus per manum Prophe-
tarum miſiſſe dicitur ad eos. Vnde
aſſeritur doctrinæ Propheticæ au-
thoritas & oſtenditur, contemptum
ejjuſdem, in ipſum Deum autorem
redundare. Sunt enim Prophetæ &
miniſtri manus Dei, per quas Regni
ſui & ſalutis humanæ myſteria di-
ſtribuit & diſpenſat. Commendat
2. Cor. 4. hoc Dei bonitatem, qui vt noſtræ
infirmitati ſeſe accommodet, homi-
num, qui ijſdem nobiſcum affectio-
nibus

nibus obnoxij ſunt, miniſterio ad nos docendos & corrigendos vtitur. Simul etiam monet: cùm verbi diuini auditores, vt ſic de miniſtrorum voce judicent, quaſi Deus ipſe manu ſua verbum ipſis tradat & diſtribuat: tum etiam verbi miniſtros humilitatis admonet, vt ſe ſaltem organa miniſterij externa eſſe agnoſcant, quæ niſi ſpiritu ejjus regantur, nihilo plus efficere poſſunt, quàm manus arida, ſpiritu vitali deſtituta.

Secundo: Aſſiduitatem in exhortando ad reſipiſcentiam indicat cum inquit.

Nocte conſurgens, & quotidie commonens: Quibus oſtendit nullam in DEO curam majjorem fuiſſe, quam vt ſeruaretur populus, ac propterea idemtidem & ſine intermiſſione, manè & ſerò, ſeu inde à diluculo ad noctem vſque continenter, per miniſterium Prophetarum eos vocauit, docuit, monuit: vt relictâ tempeſtiuè impietate

ſua

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

ſua, ſeſe à peccatis ad Deum conuerterent, & oblatam gratiam acceptarent. Eádem etiam erga nos hodie diligentia vtitur Deus: nec vllam vnquam occaſionem nos vocandi aut ſaluandi negligit.

Tertio: Rationem indefeſſæ hujjus exhortationis mox ſubiungit. Dei videlicet propenſam voluntatē & promptitudinem ad ſaluandum.

Volebat (inquit) parcere populo ſuo & habitaculo ſuo. Etenim patiens eſt erga nos, nolens vllos perire, ſed ad reſipiſcentiam peruenire. Ezech. 33. Viuo ego nolo mortem peccatoris, &c. Matth. 23. Quoties ego volui te congregare, &c. Ioh. 6. Hæc eſt voluntas ejjus qui miſit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Teſtatur hoc, miſſio Filij Ieſu Chriſti, quem toti mundo in ſalutis recuperationem dedit: Teſtatur verbi prædicatio, Sacramentorum adminiſtratio, noſtra vocatio, ſpiritus donatio & infinita alia.

2. pet. 3.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

DE TERTIO.

AT illi ſubſannabant nuncios Dei & paruipendebant ſermones ejjus, illudebantq́ Prophetis.

DEploranda hoc loco venit humani ingenij durities & malicia execrabilis, quæ non modo vocanti Deo non obtemperat: Sed etiã contumaciter reluctatur, monitiones ſcurriliter ridet & monitores deſpicatui ducit inſolentius.

Tolerabile videri poterat, quod antea de hujjus populi peccatis, quamuis grauiſſimis dixit: ſi vel tunc de emendatione cogitaſſent, cùm frequenti Prophetarum voce inſtanter admonerentur: Verum non modò nulla mali pœnitudine ducebantur, nec modò ſcelus ſceleri addiderunt: ſed peſtiferis delictis ac teterrimis delirijs faſcinati, exoſos habuerunt oraculorum diuinorum interpretes, ſpreuerunt omnes ſalutares admo-

nitiones et vt mundus securus hodie facit, risum ridebant Sardonium.

Eò igitur grauiora fiebant scelera & iniquitates eorum, quò magis admonitionem & correptionem ministerij verbi diuini fastidiuerunt contempseruntq́. Etenim quo magis homo disciplinam reijcit: eò magis & derelinquit Deum suum, qui per ministerium verbi, peccatores ad resipiscentiam vocat.

Obseruentur in hac grauissima exaggeratione impietatis Iudaicæ duo.

1. Contumacia & securitas Iudeorũ.
2. Sors piorum ministrorum.

Primum copiosè describitur contumacia gentis Iudaicæ aduersus Deum, contemptus concionum Propheticarũ & furor persequendi atq́ irridendi pios ministros, tùm verò peruicacia & beluinus stupor, quo in medijs pœnis rident: vt quò propior extrema fuerit pœna, eò magis omnium malorũ remedia spernant & negligant, flagitijs sibi viam ad

salu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

ſalutem præcludant atq; perniciem accelerent. Ideoq; mox addit, *Donec nulla eſſet curatio amplius*, Significans maliciam ipſorum ad ſummum apicem perueniſſe & conſcientiam mortifero peccati lethargo conſopitam fuiſſe, vt neq; corrigi amplius, nec quidquam curæ aut ſtudiĳ impendere potuerit, quò ad Deum ſuum conuerteretur.

Hæc ipſa ſimiliter præſenti ſæculo accomodemus, nobiſq; ipſis applicare ſinguli diſcamus, quando non corruptiſſimis modo ſtudiĳs abripiuntur homines, ſed Dei etiam verbum ſimili contumacia faſtiditur & illuditur.

DEVS hodie per ſalutaris doctrinæ prædicationem voluntatis ſuæ decreta & æterni regni ſui myſteria nobis patefecit, ſinit verbum ſuum inter nos opulenter habitare, mittit pios & ſalutares miniſtros, ſua authoritate & multiplicibus donis circumueſtitos, per quos gratiam ſuam offert, ad pœniten-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

tiam hortatur, in afflictionibus con solatur, opitulatur, objurgat, minatur: Sed plærique vel non audiunt vel oscitanter audiunt, Quidam implacabili odio illud persequuntur, ejjus fidem scurriliter eleuant alij, rident alij. Tu igitur ô Deus quousque tantas blasphemias dissimulabis?

Contemptus proinde verbi inter nos causa erit præcipua & prima, breui secururæ calamitatis & damnationis nostræ justissimæ, de qua Deut: 28. Nehem: 9. Dani: 9. Ierem: 29. Luc: 19.

Deinde hoc loco depingitur sors piorum ministrorum, quam cum Ieremia & alijs Christi seruis communem habent, quæ videlicet est vt subsannentur, paruifiant, illudantur. Tale certamen omnibus sæculis fuit pijs Ecclesiæ doctoribus contrà impios irrisores & contumaces, dum scelera illorum taxant, vitia corrigunt et tempestiuè emendationi instant, quorum peruicacia iu-

gum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

gum hoc nunquam ſubire voluit, neq; etiamnum vult: vt ore & miniſterio ſalutarium præconum doceatur, aut admoneatur. Piorum tamen miniſtrorum conſolatio hæc interea erit, ipſos totamq; Eccleſiam juuari & ſuſtentari diuinitus, labores ipſorum ſalutares multis eſſe, & exitus poſtmodum fore lætos & glorioſos.

Hac proinde meditatione ſtimulos impatientiæ retundamus, nec hoſtium minis, odijs aut ſarcaſmis etiam virulentiſſimis fracti permoueamur, vt ſtationem noſtram relinquamus, aut veritatis patrocinium deſeramus. Fortior enim eſt, qui in nobis habitat quàm qui in mundo habitat.

DE QVARTO.

DOnec aſcenderet furor Domini in populum ejjus, adduxit ſuper eos Regem Chaldæorum, & Iuuenes eorum interfecit gladio in loco ſanctua-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

rij eorum. Non est misertus adolescentis & virginis & senis, nec decrepiti: sed omnes tradidit in manus ejjus.

SEquitur quarto loco descriptio tristissimarũ pœnarum, quibus DEVS Regnum Iudæ, propter atrocitatem scelerum afflixit & deleuit.

Postquam enim Dominus multis modis à suo populo derelictus esset, dum rejecto vero ac genuino cultu ejjus, ad falsum & adulterimum defecisset, Prophetis illusisset, verbum fastidiuisset, totaq́ gens contumax in atrocibus delictis perseuerasset, Deus iusto judicio, ordine & modo, hanc multiplicem petulantiam puniuit atrocibus pœnis, gladio, igne, fame, captiuitate & diuturno in Babylone exilio, cujjus miseriæ tantæ tamq́ acerbæ fuerunt, vt nullũ flumen orationis tantũ esse possit, quod iræ diuinæ hujjus magnitudinem & Ecclesiæ ac politiæ istius funera satis exaggerare queat. De-

Deſcribitur autem miſerabile ſpectaculum hoc Ierem: cap. 39. 4. Regum 25. & hoc loco. 1. Quod furor Domini aſcenderit in populum : Sicut Dominus antea per Ieremiam comminatus fuerat. Ecce inquit furor meus & indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum, ſuper viros & ſuper iumenta & ſuper lignum Regionis, & ſuper fruges terræ & ſuccendetur & non extinguetur. Iere. 7.

Prima igitur & grauiſſima pœna & veluti cauſa efficiens omnis calamitatis ira Dei fuit, quæ ignis conſumens eſt.

Diſtulerat quidem Deus judicium ſuum, vt pœnitentiæ ſpacium impijs relinqueretur, & ſi qui ſanabiles eſſent tandem redirent ad meliorem mentem, inq; viam ſalutis reuocarentur. Poſtquam verò curatio nulla erat, tandem compleuit Dominus furorem ſuum & effudit iram indignationis ſuæ, cujjus effecta ſeueriſſimè exercuit, ſine vlla exceptione perſonarũ, ſexus, ætatis, vel conditio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

ditionis vt in Textu dicitur: *Non pepercit neq; seni neq; virgini, &c.* Sed punit summos medios & infimos, & vt in Lucano dicitur:

Nobilitas cum plebe perit lateq; vagatur
Ensis, & à nullo reuocatum est pectore ferrum.
Non senis extremum piguit vergentibus annis,
Præcipitasse diem, nec primo in limine vitæ,
Infantis miseri nascentia rumpere fata.

Ipse Rex Zedechias, qui antea viribus suis plus iusto confisus erat, Deum & ipsius verbum contempserat, Ieremiam in carcerem sæpius conjecerat & fecerat illum mergi in fossam plenam cœni: vt partim fame, partim fœtore necaretur, ipse tandem Hierichuntem fugiens, in campestribus Iericho intercipitur et ad Regem Babyloniæ Nebuchadnezarem vi pertractus, primum publicâ sententiâ pronunciatur perfidus

&

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

& periurus, mox filij ejjus, ipso inspectante, terribili laniena mactati sunt. Tandem ipse excoecatus, & durissimis catenis vinctus in Babylonem, vrbem toti Iudeæ inimicam abducitur & in foetidi atq; obscuri carceris fundo, ad poenas vitæq; statum, quauis morte durionem seruatur, donec tandem squalore & asperitate ejjusdem fractus & attritus, vitam ærumnosam tristissima morte finiuit. Ætatis suæ 32.

Templum quoq;, Regia, & omnia magnifica ædificia igne absumuntur: Propugnacula vrbis & moenia dejiciuntur: Ornamenta & vasa sacris destinata, cum aliis thesauris rebusq; præciosis auferuntur:

Proceres Regni, qui nimiam in Rege fiduciam posuerant, crudeliter occiduntur. Populi pars, gladio & internecione cadit: Pars illustrior libertate exuta & in Chaldæam abducta, tristissimæ seruitutis jugo colla submittere, & 70. annorum triste exilium ferre coacta est: Pars

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

verò tenuior, ad colendam terram Gedaliæ committitur. In ſumma Regnum Iudæ, totaq; politia, ita exciſa eſt, vt vix plebecula vlla reliqua fuerit.

Hoc modo projecit Dominus, de cœlo in terram decus Iſraëlis, & non recordatus eſt ſcabelli pedum ſuorum, abſorpſit ſine miſericordia omnia habitacula Iacob & munitiones

Thre. 2. filiæ Iudæ, deturbans in terram, & profanauit Regnum ejjus & principes ejjus, ſicut antea comminatus fuerat. 3. Regum 9. Si à me auerſi fueritis, domum hanc, quam ſanctificaui nomini meo abijciam, à conſpectu meo eritq; Iſraël prouerbium & fabula, apud omnes gentes, & domus iſta, quæ excelſa eſt. Quicunq; eam præteriuerit obſtupeſcet & ſibilabit & dicet. Cur Dominus huic terræ & huic domui ſic fecit? & reſpondebitur: quia dereliquit Deum ſuum.

Hæc ſcelerum pœna fuit juſtiſſima, quæ infelicem exitum & exi-

tium

tium tàm florenti Regno & Reipubl. attulit, ac summam illorum felicitatem, tristi captiuitate & libertatem miseranda seruitute commutauit.

Hoc proinde judicium, quod à domo domini, non magnifica modo auro & ornamentis præciosis, quàm Dei præsentia & diuinis oraculis incepit, considerantes & triste fumus et cadauer Regni et vrbis hujjus intuentes, vero pœnitentiæ studio ad DEVM maturè conuertamur, Euangelium de Christo audiamus, & corruptæ vitæ mores emendemus, humili cordis affectu rogantes, ne secundum peccata nostra faciat nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuat nobis: Sed in ira sua recordetur misericòrdiæ, propter eundem Filium suum, quem nobis veræ pœnitentiæ & remissionis peccatorum autorem dedit. Cogitantes quod Apostolus Roman: 9. ait: Si DEVS naturalibus ramis: Hoc est

illi

illi populo, quem prætulit omnibus gentibus, cui ampliſſimas promiſſiones tradidit, in quo tàm multa & euidentia de ſe teſtimonia edidit, ex quo oriundi ſunt, non modo patres & Prophetæ, ſed Chriſtus ipſe, non pepercit: quantò minus parcet nobis, ſimilia & fortè majjora delicta habentibus?

Deus miſericors, gratiæ & conuerſionis ſpiritum nobis largiatur, & corda noſtra emolliat: Vt relicta omni impietate, feriò & tempeſtiue conuertamur, & fide verâ & conſtanti, CHriſtum IEſum amplectamur, quem ἱλαστήριον pro peccatis noſtris propoſuit Deus in ſanguine ejjus. Cui honor & gloria in ſæcula.

Rom. 3.

AMEN.





Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

CONCIO SECVNDÆ DIEI.

Textus Psal: 103.

MIsericors et miserator Dominus, tardus ad iram & multæ bonitatis.

Non in perpetuum contendet: neq; in æternum irascetur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam sicut altitudo cœlorum supra terram: magnificata est bonitas ejjus super timentes eum.

Sicut distantia ortus ab occasu: longè remouit à nobis transgressiones nostras.

Sicut miseretur pater super filios, miseretur Dominus super timentes se.

Quoniam ipse nouit figmentum suum: recordatur quia puluis sumus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Dies hominis est sicut fœnum: tanquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus transibit per eum: & non erit, & non cognoscet amplius locum suum.

Bonitas autem Domini à seculo vsq; in seculum super timentes eum: & justicia ejjus filijs filiorum.

His qui custodiunt testamentum ejjus: & qui memores sunt mandatorum ejjus, vt faciant ea.

EXemplum iræ Dei grauissimæ in Israëlitis ob extremam malitiam acerbè punitis heri proposuimus: Hodie aliam DEI faciem, quam verè resipiscentibus perpetuò obuertit, à Dauide Psalmo citato, viuis veluti coloribus delineatam illustratamq; Ecclesiæ proponemus. Ea autem liquidò in ipsius erga nos infinita clementia & bonitate inexhausta, tanquam tersissimo speculo conspicitur. Dum vide-

videlicet ad judicij sui rigorem vitam nostram non examinat, nec vt peccata promerentur nobiscũ agit: Sed debile hoc figmentum & massam infirmã benigne excipit, iram & meritas calamitates mitigat, atque paterno affectu omnes eos licet immeritos prosequitur, qui sincero cordis affectu ipsum timent, testamentum ipsius custodiunt, ac totam vitæ suæ rationem, ad præscriptum mandatorum diuinorum instituunt.

Hâc doctrinâ de immensâ Dei misericordia et extremâ nostrâ miseriâ, miro verborũ pondere, suauissimis comparationibus & elegantissimis figuris per Prophetam descriptâ & amplificatâ, mentes nostras perterrefactas in spem veniæ erigamus, & ex eodẽ bonitatis fonte consolationes aduersus lethiferos morsus conscientiæ, iræ Dei, mortis, Diaboli & aduersus propriam nostram infirmitatem hauriamus. De quibus concione hodiernâ, extremos tantum rerum apices perstringens dicam.

Par-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

I. Prima Dei naturam & ingenium erga miſeros peccatores, Quatuor dulciſſimis Epithetis, & tribus elegantiſſimis ſimilitudinibus graphicè depictam ob oculos ponit.
II. Deſcriptionem fragilitatis & vanitatis humanæ, tribus etiam ſimilitudinibus adumbratam continet, cui mox conſolationem tantæ miſeriæ opponendam ſubjjungit.
III. Docet, quibus tantæ clementiæ & bonitatis diuinæ amplitudo contingit.

DE PRIMA.

PRima hæc pars ſex verſibus abſoluitur, quorum primus quatuor attributa continet. Secundus & Tertius verſus modum & Exemplum, quomodo noſtri miſereatur oſtendunt. 4. 5. & 6. verſus tres illuſtres comparationes eodem ſpectantes, complectuntur.

Miſe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Miserator & misericors Dominus, tardus ad iram & multæ bonitatis.

Verba, quæ hoc loco & Psal: 86. Item Psal: 125. citantur, ex secundo libro Mosis cap: 34. desumpta sunt, quibus ipse DOminus (postquam decretum legis horrendo fragore & tonitru cœlitus per manus mediatoris tradidisset, & nunc denuò reparatis tabulis repetiuisset) de se testatur, qualis sit non modo in se & sua essentia, sed erga nos miseros & infirmos homines, quos timore dejectos erigit, & quasi blandicijs ad se allicit. Cum inquit: Dominator Dominus Deus misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis & verax, qui custodit misericordiam in millia, auferens iniquitatem scelera & peccata, &c. Ex hac Epithetorum congerie, Dauid hoc loco breuiter monstrare volens, quid nos de Deo maximè scire & ab ipso sperare & expectare oporteat: quatuor tantum mutuatur, quæ ad libellã, quod aiunt, expensa, singula sua suppeditant beneficia.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

I. *Misericors.* Primo hoc elogio tribuit DEO viscera miserationum, quod videlicet intimo cordis affectu nostris miserijs & ærumnis commouetur. Vox enim Hebræa Rahhum, significat viscerum conuulsionem, motum precordiorum atque affectuum nequaquam languidum aut frigidum sed vehementissimum, ex ipso cordis sinu profluentem, qualis esse solet in generosis naturis στοργὴ seu suauissimi amoris incendium, in intimis pectoris recessibus parentum erga sobolem: Sicut mox explicat ipse Dauid: Hinc viscera miserationum & vox σπλαγχνίζομαι à CHristo sæpius & de ipso ab Euangelistis frequentius vsurpata.

Testatur hac voce Propheta nostri generis salutem Deo cordi intimè esse, cumque nostris miserijs seriò affici, etiam quando nulla propriæ salutis cura nos tangit, imò cum exitio & perditione delectamur. Ephes: 1. Iohan: 3. Tit: 3. ad hanc

igitur

igitur ſolam anhelemus, extra quam non habemus in quo acquieſcamus.

2. *Miſerator.* Secundum hoc attributum prioris veluti effectum externum eſt, declarans opere & facto, quod in affectu erat interno. Ita enim diſtinguimus inter miſericordiam & miſerationem: vt hoc effectum, illud vero affectum ſignificet. Eſtq́ ſenſus: Non ſolum nobis ex animo compatitur, noſtrasq́ miſerias ſibi cordi eſſe teſtatur DEVS: Verumetiam ipſius compaſſionis effectum reapſe oſtendit, recipiendo nos in gratiam & condonando peccata, ferendo nobis auxilium, ſubleuando infirmitates noſtras ſuo ſpiritu, conferendo liberaliſſimè ſua dona & bona gratis præter omne meritum. Hinc & Iohanuis 3. dicitur: Dilexit mundum vt daret filium. Item de plenitudine ejjus omnes accepimus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Tardus ad iram: Tertium Epitheton ejjus tolerantiam deprædicat, quòd non statim, simul ac læsus est excandescat, aut vt seuerus judex judicij sui rigorem illicò in nos cum delinquimus stringat: Sed pro suâ plus quam paternâ indulgentiâ & μακροθυμία iram dissimulat, pœnas commeritas differt & condonat, nec vnquam nisi maliciâ nostrâ coactus ad vindictã sese accingit, quam cum infligit, bonitate sic temperat, ne succumbamus aut prorsus sub eà deficiamus, ac tandem hunc in afflictionibus largitur euentum, vt illustrior reddatur in liberando benignitas, quam in puniendo seueritas: Sicut dicitur Psal: 68. Benedictus Dominus, onus nobis imponit quotidie & tamen est salus nostra. Item, Psal: 118. Castigans castigauit me Dominus, sed morti non tradidit me, Roman: 5. Gloriamur in afflictionibus, Psal: 119. Bonum mihi quod humiliatus sum.

Multæ bonitatis.

Tria

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Tria priora Epitheta concernebant pœnæ & culpæ condonationem, quod primum & præcipuum eſt beneficium: Quartum hoc refertur ad varias & multiplices beneficentiæ formas: vtpote quod, qui prima, principalis & vniformis boni exiſtentia, cauſa & origo ſit, riuulos bonitatis ſuæ in totum humanum genus deriuat, omniq; benedictione locupletat, præcipuè pios, in quos opulenta & præcioſa bona, corporalia & ſpiritualia, largiſſima manu cumulatè effundit, cujjus argumentum euidens eſt, & indicium ſat manifeſtum, quod nihil eorum, quæ ad eos juuandos, ſuſtentandos conſeruandos, ſaluandos ſpectat vnquam prætermittat.

Non in perpetuum contendet: neq; in æternum iraſcetur.

προκατάληψις eſt obiectioni reſpondens tacitæ. Nam etſi ſcriptura magnificè deprædicet & ſæpius inculcet amplitudinem miſericordiæ & bonitatis diuinæ: eam tamen ſæ-

pissimè in dubium vocat caro: præsertim quum ob peccata punitur, vel durius paulò cruce premitur, sicq́ obijcit.

Deus rigidè admodum animaduertit in scelera, & virgâ sæpe ferreâ
1.pet.4. visitat iniquitates hominum: Imò judicium (vt diuus Petrus ait) à domo Domini incipit. Quod de Iudæis durâ captiuitate & exilio punitis heri diximus: adhæc Deus sæpe multumq́ à nobis rogatus, auxilium subtrahit, deq́ die in diem liberationem differt, quemadmodum Psalm: 13. queritur Dauid: vsq́ quo Domine obliuisceris mei in perpetuum, vsq́ quo auertis faciem tuam à me? et Habacuc 1. vsq́ quo Domine clamabo & non exaudies, vociferabor ad te & non subleuabis? Quomodo igitur vel tardus ad iram, vel multæ bonitatis dicitur?

Respondet hoc versu Dauid. Irascitur quidem Deus, sed non in perpetuum, est enim ἐυδιάλλακτος, cum quo facilè in gratiam reditur, idemtidem

tidem

tidem ad peccatoris resipiscentiam placatur, atq; lite quasi compositâ causam non agit amplius, neq; postea delictorum seruat memoriam. Id enim verbum Hebræum IARIB, quod in foro contendere, disceptare, causam diligentius examinare, & à judice vindictam exposcere significat.

Talem erga nos actionem nunquam instituet: sed omne jus suum remittet, perpetuamq; injuriarum ἀμνησίαν inducet, sicut Esaiæ 54. dicitur: In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te & in misericordia sempiternâ misertus sum tui, dicit Redempror Dominus. Item Psal: 30. Momentum ira ejjus & vitâ delectatur, ad vesperam erit fletus & mane carmen. Thren: 3. Non in sempiternum reijcit DOminus: Sed cum mœsticia affecerit etiam miserebitur. Micheæ 7. Non retinet in perpetuum iram suam, quia delectatur bonitate. Differt

quidem Deus sæpè auxilium & permittit fide sanctificatos durius interdum affligi, idq; non sine maximo illorum bono: vt videlicet propius aspiciant ejjus judicium aduersus peccatum, & conscientiam suam exactius examinent: vt aliquem gustum iræ diuinæ percipiant, vt moriantur peccato & mundo, vt exerceatur fides, vt sit occasio pulsandi & petendi, vt conformes reddantur imagini filij ejjus: vt vitæ æternæ desiderium ipsis instilletur, &c. Tandem tamen sequitur gloriosa liberatio, & momentaneam hanc afflictionem pondere æternæ gloriæ compensat, pie igitur exclamat Tertullianus: ô beatum seruum illum, cujjus emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit. Et Augustinus in 98. Psal: illi DEVS irascitur, quem peccantem non flagellat. Nam cui verè est propitius, non solum damnat peccata ne noceant ad futurum seculum: Sed etiam

2. Cor. 4.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

am caſtigat, ne ſemper peccare delectetur. Quando igitur à Domino judicamur erudimur, ne cum hoc mundo condemnemur.

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

A ſuo & totius gentis Iudaicæ exemplo, quod dixit probat, & ſimul oſtendit modum quo Deus ſuam erga nos clementiam exercet atq; declarat: hoc nimirum, non agendo nobiſcum ſecundum iniquitates noſtras, eſtq; hic ingenua peccati confeſſio, & indulgentiæ diuinæ commendatio: ac ſi diceret, nos quorum ortus in vitio eſt, impuris progenitoribus ſati, libidinum maculis inquinati, erroribus implicati, ſceleribus contaminati & nullius non peccati contagione polluti: Nos inquam, ingenuè agnoſcimus Deum horribiliter à nobis offenſum eſſe noſtraq; delicta majjora, quàm vt vnquam veniam mereamur, ſi vt ri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

gidus cenſor exactum ad tribunal ſuum examen inſtituat. Imo ſi nos ipſi ad calculum omnia vitæ noſtræ acta reuocauerimus & ſingula cogitata, dicta factaq; diligentius penſitauerimus: vix noſtrûm vnus erit, qui diuinam vltionem in proprium caput prouocaſſe, & pœnà grauiſſimâ atq; abjectione & morte æternà ſe dignum eſſe non videat. Quanta enim ſcelerum grauitas & pondus exiſtit, tanta etiam pœna ſit oportet: vt paria paribus referantur: Attamen ſummo ergà nos jure nequaquam vſus eſt, nec tantorum delictorum vindictam expoſcit, non judicium exercuit trutinæue bilancis dignas flagitijs pœnas examine nunquam, æquiparans pendit: Sed pro inexhauſtâ bonitate & gratiâ ſuâ, juſtitiæ & juris acerbitatem ἐπιεικέιᾳ temperauit, & modo planè contrario, quam meriti eramus nobiſcum egit: voluimus maledictionem & dedit benedictionem, morte digni

era-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

eramus, vitam concessit, suaque clementiâ, cum nostrâ maliciâ sic certauit: vt & pondus peccatorum diminueret & pœnas commeritas detraheret. Idem beneficium Dauid Psalm: 130. agnoscit: & Esaias capit. 1. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti fuissemus. Agnoscamus & nos eandem DEI clementiam quæ facit, quod non toti ab iræ diuinæ æstu iamdudum consumpti sumus.

Sicut altitudo cœli supra terram: magnificata est misericordia super timentes eum.

Tribus nunc similitudinibus à rebus naturalibus sumptis, doctrinam hanc totam illustrat & amplificat. Quarum prima sumitur.

. A distantia cœli à terra.

I. A longitudine ortus ab occasu.

II. A φιλοστοργίᾳ parentum.

Sicut

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

I. Iubet Apostolus ad Ephesios 3. capit. Pios considerare, quæ sit illa longitudo, latitudo profunditas & sublimitas, ineffabilis charitatis Christi erga nos: eam hoc loco in immensum amplificat, & à rerum istarum quantitate & distantia, quæ in tota vniuersitate, omnium maxima & penè infinita est, describit. Vt magnitudini peccatorum quibus terretur conscientia, opponatur ἀμέτριτου ἔλεος seu diuinæ gratiæ immensitas & amplitudo. Quemadmodum enim cœlum à terra longissimo distat interuallo per dimidiam diametrum mundi à summitate cœli supra zenith capitis nostri vsque ad centrum, hoc est spacio ferè infinito et longè majore quàm vt à quoquam mensurari supputariuè queat: ad eandem etiam immensitatem, tamque longè & late gratiæ diuinæ amplitudo super nos extenditur, vt ab imo terræ ad cœli vsque extimum pertingat. Sicut alibi testatur Da-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

uid cum inquit: Vſq; ad cœlos miſericordia tua. Neq; ſolum diſtantia cœli à terra immenſa eſt: Sed etiam quo ad magnitudinem, inter cœlum omni menſurâ majjus & terram quæ hujjus reſpectu, in modum puncti ſe habet proportio nulla exiſtit: Ita quoq; miſericordia DEI infinitè majjor & amplior eſt omnibus delictis hominum, quantumuis magnis & multiplicibus: Gratia enim exuberat ſuper delictum. Pſal. 36. Rom. 5.

Cœterum in quo tantæ gratiæ diuinæ amplitudo fundatur, & per quem è cœlo ad nos pertingat, Docet euidenter Paulus ad Epheſ: 1. Cum nos in dilecto dilectos aſſerat, hoc eſt in ſolo Chriſto θεανθρώπῳ, qui ab æterno ſecundum diuinam ſuam naturam incomprehenſibilis immenſus & infinitus exiſtens: è cœlo in terram deſcendit & naturam humanam finitam, comprehenſibilem, patibilem, cum infinita illa diuina, in vnam perſonam admirando

do

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

do & ſempiterno fœdere conjunxit,
& precium totâ peccatorum mole
majjus perſoluit : quò homo pecca-
tor finitus cum infinito Deo juſto, ip-
pſal. 33. ſo mediante, conjungeretur, miſeri-
cordia à cœlo ad terram vſq; diffun-
deretur, & peccata multiplicia infi-
nitâ gratiâ abſorberentur. Nemo igi-
tur delictorum ſuorum vel multitu-
dine, vel magnitudine fractus grati-
am hanc in dubium cum Caino vo-
cet: cujjus impiam et deſperabundã
vocem Auguſtinus refutans, præ-
clare aſſerit: Dei miſericordiam maj-
jorem eſſe omniũ hominum miſeria.

Quantum diſtat ortus ab occaſu: longè remouit à nobis tranſgreſsiones noſtras.

II. Dixit de miſericordia ampli-
tudine, nunc obſtacula gratiã hanc
à nobis impedientia, ſecundá hac ſi-
militudine remouet. Cum enim ni-
cap. 54. hil in toto mundo ſit, Eſaiâ teſte,
quod nos à Deo ſeparet, gratiam ej-
jus impediat & à nobis remoueat,

præ-

præter ſolum peccatum: Ideo ne & hoc nobis obſtare putemus, quo minus diuinæ miſericordiæ amplitudo ad nos pertingat, tanto illud à nobis interuallo remotũ aſſerit, quanta eſt diſtantia ortus ab occaſu: Sed diſtantia ortus ab occaſu, per totam diametrum à polo ad polum, ſecantem centrum mundi ducitur, hoc eſt interuallo multorum millenorum milium miliarium. Tanto etiam interuallo ex infinita gratia ſua omnes tranſgreſſiones noſtras remouet. Sublato itaq; hoc ſalutis obſtaculo nihil amplius in vniuerſo mundo, (qui orientis & occidentis nominib⁹ ſignificatur, vt Augu: lib: 7. de ciuitate Dei cap: 8. docet) inuenitur, quod immenſitatem diuinæ hujjus gratiæ, vel à nobis impediat vel remoueat. Sed vt hæ mundi extremitates adeo longè, à ſe inuicem diſtant vt mutuo ſeſe contingere nequeant oppoſitæq; diametraliter perpetuò maneant. Ita etiam peccati culpa & reatus conſcientias ſanctorũ nunquã condemnabunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

bunt, nec quæ ſalutis ſunt impediant, cùm & longiſſimè remota ſint, & perpetuò diuinæ gratiæ amplitudinem ſibi oppoſitam habeant. Quando enim peccata ſunt in occaſu gratia Dei eſt in ortu, vt Auguſtinus piè ſuper hæc verba commenta-
Mich. 7. tur. Hinc apud Micheam dicitur Dominus proijcere omnes preuaricationes noſtras in profundum maris.

Quemadmodum miſeretur pater filiorum, miſeretur Dominus ſuper timentes ſe.

III. Tertia comparatio à φιλοστοργίᾳ parentum ergâ ſobolem deſumpta, Ea autem in generoſis naturis tanta eſt, vt omnem amoris affectum, etiam inter conjunctiſſimos ſuperet. Non enim conſuetudine, aut morum ſimilitudine inceptum, ſed diuinitus infuſum eſt hominum pectoribus hoc amoris incendium, quo quaſi vinculo arctiſſimo, ſeu vt Gregorius Nazianzenus

nus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

nus ait, φίλτρῳ colligati sunt parentes liberis, quos tanquam propriam animam diligunt, (vt in Hierone dixit Xenophon) et summa semper beniuolentia complectuntur, fouent, alunt, ornant, locupletant, defendunt: cùm aliâs, tùm maximè, cum in miseria constitutos videant, & pluris sæpè faciunt illorum salutem, quàm vitam propriam: Cujjus rei exemplum habemus in Iacobo cernente tunicam Iosephi sanguine hœdi tinctam, quem propterea â feris dilaniatum putabat, adeoq́ turbabatur, vt nullam consolationem admitteret, sed optaret se in sepulchrum ad filium descendere. Similiter in Dauide deflente tristia filij contumacis Absolonis fata, cum diceret: Fili mi Absolon, fili mi, fili mi, quis det vt moriar pro te? In meretrice ad Salomonis tribunal constitutæ, quæ fœtu suo priuari potius, quàm in necem ejjus consentire voluit, &c. Tanto etiam tamque immenso amore, omnes se timentes

Gen. 37.

2. Sam. 18.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

complectitur Dominus, Imò infinito majjor & longè flagrantior in DEO est hic amoris affectus, quam omnes parentum storgæ, naturali instinctu in intimis præcordijs nascentes. Qui etiam tum maxime erga eos, qui ejjus vero cultu tanguntur, lucet & conspicitur, cùm vehementius aduersis præmantur. Quẽ-
Luc. 15. admodum docet ipse Christus in parabola de filio Alastore omni facultate exuto, inq; extremâ miseriâ constituto. Item Luc: 11. & apud Esaiam
Esa. 49. cap: 49. Num potest mater obliuisci
Jere. 31. infantis sui &c. & Dn̄s apud Ieremiã reditũ ex Babylone populo suo promittens dulcissime inquit: An non filius charus est mihi Ephraim? Et puer quo vnicè delector: Nam ex quo locutus sum contra eum, omnino recordor ejjus adhuc: Iccirco viscera mea commouentur super eum, omninò miserebor ejjus dicit Dn̄s.

Atq; hæc causa est, cur tantum amoris incendium in intimo cordis humani sinu flagrare voluit Dominus:

nus: vt aliquo modo hunc immensum amorem suum, cùm erga filium proprium: Tùm etiam erga nos in jus filiorum per Christum adoptatos adumbraret.

1. Inuitat nos hæc doctrina de ineffabili & inexhausta misericordia, bonitate & facilitate ad ignoscendum opemq; mortalibus ferendum: vt in terroribus conscientiæ viua fiducia nos erigamus, omnemq; diffidentiam animis excutiamus. Nihil enim nobis obstat, cur non ipsi quoq; cum Dauide, de benigni hujjus patris indulgentia, optima quæq; nobis, modo credamus, polliceamur. *Doctrinæ & vsus.*

2. Luculenter etiam docent hæc, hominem non operibus legis justificari, neq; delicta nostris meritis expiari: Sed DEVM ex immensâ gratiâ projicere in profundum maris & à nobis longissime remouere omnia nostra delicta: Ac propterea eos toto cœlo errare dicimus, qui neglectâ hac salutis *Mich. 7.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

viâ, sanguine CHristi stratâ & infinitâ ejjus misericordiâ, ab imâ terra ad summum cœlum oppletâ, alium sibi in cœlum ascensum parant.

3. Soli DEO deberi quidquid nobis in vitâ boni contingit, etenim is vnicus fons & causa omnis bonitatis longè vberior existit, quam vt nostris peccatis aut miserijs vnquam exhauriri possit.

4. Causa cur non statim extinguantur flagitiosi & quod nos in hunc vsq; diem seruati sumus, profusissimæ clementiæ diuinæ in solidum debetur, si enim ex peccatorum nostrorum merito tractati essemus, iamdudum interijssemus, Psal: 130. Thren: 3.

5. Peccata longissimè à nobis Christi merito remota, non esse in proprium exitium reuocanda, neq; Dei clementiam in peccandi licentiam, aut carnalem securitatem trahendam esse.

QVoniam ipse cognouit figmentum nostrum, &c.

DVæ sunt causæ impulsiuæ, quæ Deum mouere solent, vt miseris mortalibus opem ferat, & peccatores idemtidem in gratiam recipiat. Vna in ipso DEO est, Misericordia, de qua magnificè hactenus concionatus est Propheta: Altera extrà ipsum est, triste quoddam obiectum, miseria nimirum & fragilitas hominis extrema, de quâ secundo hoc loco agit Psalmista.

Absoluitur autem hic locus quatuor versibus, duo membra complectentibus.

Primum continet descriptionem vanitatis et instabilitatis vitæ humanæ. Alterum habet consolationem huic opponendam.

In descriptione fragilitatis humanæ, ordine recensentur tres compa-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

rationes à rebus fluxis & euanidis ſumptæ. 1. à figmento ſeu vaſe fragili. 2. à puluere terræ. 3. à fœno & flore agri, quas ordine videbimus.

Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Proſopographia eſt docens, qualis homo poſt horrendam illam apoſtaſiam in Paradyſo factam ſit, nempè figmenrum luteum & vas fragile: quale ex limo formare ſolet figulus, quod cum primum elaboratum fuerit facillimè frangitur et comminuitur, idq; non factoris culpâ, ſed materiæ vitio.

Hoc inquit Propheta nouit Dominus cujjus manibus Plaſmati & figurati ſumus, vt Eſai: 64. teſtatur. Domine pater noſter es tu: nos verò lutum & terra. Tu figulus noſter, nos opus manuum tuarum ſumus. Item Pſalm: 119. Manus tuæ plaſmauerunt me, &c. Hujjus igitur debilis figmenti ſui miſeretur, & opus hoc manuum ſuarum pro nihilo non reputat: Sed aſſiduus infirmitatis

tatis

tatis ejjus ſpectator, leniter figmentum hoc ſuum tractat, curat, conſeruat.

Recordatus eſt quoniam puluis ſumus. Secunda comparatio arguens materiam ex qua figmentum illud formatum eſt & in quam breui rurſus reſoluetur. Reſpicit autem Propheta, ad primam productionem hominis, quæ deſcribitur, Gene: 2. His verbis: Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ. Item cap: 3. Puluis es & in puluerem reuerteris, vnde etiam Paulus, 1. Corint: 15. Hominem vocat χοϊκόν, hoc eſt lutoſum & cœnoſum.

Ac quamuis nobilior hominis pars anima, nequaquam ex puluere eſt, ſed ſpiritus & materia cœleſtis: De toto tamen homine hic loquitur Dauid, eò quod & ipſa pulueri quam diu in hoc ergaſtulo eſt, illigata manet.

Homo ſicut fœnum, dies ejjus tanquam flos agri ſic efflorebit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Tertia similitudo à fœno & flore euanido sumpta. Cum Dominus
cap. 40. Prophetam Esaiam clamare jussisset incertumq; haberet quid clamandū esset, mandat Dominus eadem, quæ hoc loco ponuntur altâ voce proclamari: Omnis caro fœnum & omnis gloria ejjus tanquam flos agri, &c. Repetit hanc eandem sententiam Petrus 1. Epistola capit: 1. Qua similitudine docetur, omnem splendorem, honorem, nobilitatem venustatem & quidquid vllam in homine decoris præ se fert speciem, fœnum esse, quod facillimè in cœnum conuertitur. Nam vt fœnum eximio succrescens decore et colore manè floret, & vesperi in clibanum mittitur. Matth: 6. & flos succisus aratro languescit moriens. Sic homo resq; hominum fluxæ in contraria et aduersa, citissimè mutantur, & quantuscunq; hominis splendor videatur, fallax tamen est, et rosæ instar euanidus, vt Poëta testatur. Persimile est folijs hominum genus omne caducis:

Quæ

Quæ nunc nata vides pulchrisq; vi-
rescere syluis,
Autumno veniente cadunt.

Rationem addit. *Spiritus enim transit.* Hoc est, prout ventus vrens herbam exsiccat & flores facit marcessere. Ita omnem in homine venustatem delet & abolet diuinæ indignationis, morborum & mortis æstus & tempestas.

Quidam ad Spiritus rationalis transitum hæc referunt, qui, facta per mortem resolutione, corpus vermibus arrodendum relinquit.

Hæc vitæ est nostræ post lapsum congenita proprietas, hæc majjestas, hoc decus atq; splendor. De quo etiam questi sunt ab initio omnes, tàm profani quam sacri scriptores. Homerus hominũ genus flori confert. Iliad. 6. Pindarus vmbræ somnium definit: Vlysses apud Sophoclem nil nisi imaginem esse dicebat. Socrates in Axiocho παρεπιδημίαν incolatum. Cicero bullam, Plautus herbam Solsti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

tialem hominem dicebat. Aristoteles imbecillitatis exemplum, fortunæ spolium & inconstantiæ imaginem definiuit. Plutarchus ςιγμὴ χρόνȣ temporis punctum. Solon referente Stobæo hominem in ortu putredinem, in vita bullam, in morte pabulum vermium esse aiebat,
cap. 17. Sicut & ante ipsum Iob patrem putredinem vocauit, matrem & sorores vermes.

Diuus Gregorius in funere fratris Cœsarij allegans hæc Psalmistæ verba ait: Cum non simus nascimur, nati dissoluimur, insomnium sumus, puluis, vapor, ros matutinus, flos nascens & marcescens. Et August: libro meditat: cap: 21. Vita hæc vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita Domina malorum, regina superborum, plena miserijs, erroribus, quæ non est vita dicenda, sed mors, in qua momentis singulis morimur.

Præclarè etiam Bernhard: libro de consideratione vtilitatis humanæ,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

næ, septem inquit sunt de essentia hominis, quæ si homo consideraret in æternum non peccaret, videlicet materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, status instabilis, mors tristabilis, dissolutio miserabilis, damnatio detestabilis, & tamen consideratio gloriæ ineffabilis. Sed desino plura hac de re congerere testimonia: quum nullus dies, nulla hora sit, quæ non ostendat, quàm nihil sumus.

Hæc cum non ignoret Dominus, nos pulverem & fœnum esse, quod tractatione indulgentiore opus habet: Ideo paterno more nobiscum agit, nostræq; imbecillitati sese accomodans, virtutem suam in infirmitate nostrâ perficit. Ideo etiam Filius Dei caro factus, infirmitatem assumpsit nostram: vt per omnia tentatus, absq; peccato, sensu infirmitatum nostrarum posset affici. Heb: 4. Vtq; flos qui in Adam erat caducus, in ipso esset æternus.

Deseruiunt hæc nostræ institutioni & docent. 1. Humilitatem: vt deponen-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

ponentes omnem fastum, humiliemur sub potenti manu Dei, assiduè imbecillitatem hanc nostram pensitemus & caueamus, ne prosperis fortunæ successibus elati, homines nos esse obliuiscamur: Ecclesiast: 10. Quid superbis terra & cinis?

2. Docemur nihil esse in infirmâ hac massâ nostrâ, donis quantumuis plurimis ornatâ, quod Dei judicio opponi possit: Sed æternum nobis pereundum esse, si vel minimam potentiæ suæ partẽ exerceat, Psal: 130.

3. Non differendam esse conuersionem nostram: Cum vita admodum fluxa sit & instabilis. Sir. 5. Esa. 55.

4. Non fidendum esse huic vitæ, nec vlla in rebus caducis, opibus, honoribus, voluptatibus quæ tandem dolore concluduntur & amaritudine, quærenda præsidia, omnia namq; sperata & parta fortunæ decora, vnius horæ momento euerti possunt. Quapropter omni conatu anhelemus ad vera et diuturna bona quæ sursum sunt, vbi Christus

ſtus eſt ad dexteram patris. Coloſſ: 3.

5. Petamus nos iuuari diuinitus & ſpiritus robore ſuffulciri, ne tantis miſerijs & infirmitatibus fracti, ſuccumbamus.

6. Molliter nos inuicem tractemus, cum adeò debiles ſimus & infirmi.

Miſericordia autem Domini ab æterno & vſq; in æternum.

Alterum membrum hujjus loci, conſolationem tantis miſerijs opponendam continens. Philoſophi ad deplorandã ſupradictæ naturæ humanæ miſeriam, omnem ſuam eloquentiam & ingenij neruos intenderunt & altius in naturâ ipſa querebant remedia & conſolationes huic opponendas. Verum cum nec cauſas tantarum miſeriarum, neq; fontem veræ conſolationis, luce doctrinæ cœleſtis deſtituti, inueſtigare potuerunt, tantum cum indignatione & fremitu admirati ſunt creaturam hanc nobiliſſimam tantâ mole calamita-

mita-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

mitatum oneratam esse: ac tandem in desperationem ruentes à salutis portu aberrarunt longissimè. Dauid verò firmam hic consolationem & spiritualem antithesin, qua se in hac vanitate erigant languidæ mentes monstrat: DEI videlicet constantissimam misericordiam & justiciam perpetuam. Hæc enim vt homo & res aliæ fluxæ nec mutantur nec deficiunt, sed durant à sæculo in sæculum super filios filiorum.

Primum misericordiâ hac sua infirmos nos benignè excipit, paternè tractat, indignitatem absorbet, infirmitatem sanat, spem nobis firmam facit, preces exaudit, nec vnquam misereri desinit, donec nos æterna in cœlis beatitudine ornet & repleat.

2. *Et justicia ejjus in filios filiorum.* Iustcia non quâ ipse justus est, sed quâ nos fide justificatos per CHristum veluti præsidio iuxta promissionem suam munit, confortat, consolatur, erigit ac tandem exantlatis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

miſerijs in libertatem perpetuam aſſerit, idq́; non ſolum eos qui in ipſius tutelam modò aſciti receptiq́; ſunt, ſed & in filios filiorum & ſeros nepotes veluti jure hæreditario redundaturam promittit, modò à majorum virtute non degenerauerint. Exodi 20. Deut: 7.

Hoc proinde juſticiæ diuinæ tegumento circumdati, hocq́; robore, quo Deus ſuos in tentationibus & infirmitatibus ſuſtentat armati omnem vim hoſtilem internam & externam ſuſtinere, repellere ac per Chriſtum profligare nos poſſe indubitatò ſtatuamus. Admonentur etiã illi, quibus à Domino obtingunt liberi, vt diuino timori & protectioni ſe ſuaq́; omnia ſubijciant, vt per illorum pietatem diuina benedictio & felicitas in illorum liberos & poſteritatem propagetur.

DE TERTIO.

SVper timentes eum & his qui cuſtodiunt teſtamentum ejjus: &

memo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

memores ſunt mandatorum, vt faciant ea.

QVamuis ſatis ſuperq; diuinæ clementiæ & bonitatis amplitudinem commendauit, et eandem omnibus indiſcriminatim obtulit Propheta, non tamen omnes promiſcuè ejjuſdem participes fieri, hoc loco innuit: Sed ad eos tatummodo reſtringit, qui relicta impietate, seriò ſe ad DEVM conuertunt, ipſumq; vero & ſincero cordis affectu colunt, filiali eum amore reuerentur ac beneficia ejjus fide et bona conſcientia amplectuntur. Hanc enim conditionem timoris & obedientiæ perpetuò adjunctam habent omnes diuinæ promiſſiones, quamuis gratuitæ. Suſtinet quidem Deus etiam impios patienter ſuâq; beneficentia cumulatiſſimè afficit: Hi tamen, quia viuo fidei ſenſu beneficia hæc non percipiunt, ideò neq; participes hujjus dicuntur, ſed hi ſolũmodo. 1. Qui

ciment

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

timent eum. 2. Custodiunt fœdus ejjus. 3. Memores mandatorum. 4. Faciunt ea.

1. Timoris vocabulo totum nominis diuini cultum comprehendit, qui nullus plane est nisi prælucente vera DEI agnitione & fide, seriâ ejjus reuerentia tangamur. Estq; non seruilis qualis in impios cadit & desperationem operatur, dum in eo nihil præter furorem & horribilem scelerum vindictã animaduertunt: Sed filialis, quæ semper Dei clementiam et bonitatem intuetur, tum patris optimi instar veneratur, voluntati ejjus sese accommodat totamq; vitæ suæ rationem ad præscriptum statutorum ejjusdem instituit.

2. *Qui custodiunt testamentum*, non legis quidem, quod iratum tantum Deum monstrat, proclamans maledictionem non facienti: sed quod ex promissione Euangelij est factum Adamo de semine mulieris contrituro caput serpentis: Repetitum deinde Abrahamo, benedictum iri in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

ejjus semine omnes gentes. Reno-
2. Para. 22. uatum Dauidi 2. Samuel: 7. ac tan-
dem dira Christi morte & sanguinis
ejjusdem effusione sancitum & con-
sumatum. Hoc fœdus cum humano
genere ictum, de mediatore ablatu-
ro omnem maledictionem et restitu-
Luc. 11. turo æternam benedictionem, justi-
Joha. 8. ciam, vitam, salutem, vult nos custo-
Rom. 1. dire, hoc est verbum illud saluifi-
Joha. 3. 16. cum, quo ipsius bonitas & miseri-
cordia innotescit & offertur, summa
attentione, Zelo & studio auscul-
tare, discere, meditari, omnem in
Christum fiduciam collocare, eun-
Luc. 18. dem sine intermissione inuocare,
Matth. 24. per patientiam auxilium in cruce
Apoc. 3. expectare & ad finem vsque perse-
uerare.

3. *Et memores mandatorum.* Me-
moria hæc fœtus est timoris diuini,
nam per eum concipitur, fouetur, a-
litur in mente humana, estque assidua
meditatio & recordatio beneficiorũ
diuinorum cum gratiæ & laudis ej-
jus deprædicatione, de qua Psal: 77.
Memor

Memor fui DEI & delectatus ſum, memor fui operum Domini & mirabilium tuorum. Pſalm: 105. Memor fui verbi ſancti tui & teſtamenti ipſius. Pſalm: 119. Memor fui ſtatutorum tuorum à ſæculo.

4. *Vt faciant ea.* Non nudam requirit memoriam, ſed vult vt à terrenis & carnalibus operibus deſiſtentes, quæ DEI ſunt faciant: vt in operibus diuinis vigeat memoria illorum. Non enim ſatis eſt ad ſalutem ſcire quæ in verbo ſuo mandat, & à nobis requirit DEVS: Sed vt peccatis mortui in charitate & innocentia viuamus & debitum cultum DEO præſtemus omninò requirit. Seruus enim ſciens voluntatem et non faciens, multis vapulabit.

Diſtinguit itaq; hac clauſula Propheta inter verè pios & Hypocritas: His pietas & fides in labijs natat (vt Cypriani verbis

 vtar)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

vtar) hoc est Deum quidem in ore habent, factis negant: illi verò, quod ore profitentur opere præstant, juxta mandatum Iacobi cap: 1. Re ipsa præstate sermones, nec sitis auditores solum fallentes vosmetipsos. Item, Roman: 2. Non auditores legis justificantur sed factores, fides namque per charitatem operatur. Mi-
Gala. 5. litemus igitur & nos bonam militiam retinentes fidem & bonam conscientiam.

Hæc sunt, quæ hodie dicere volui, de inexhausta Dei misericordia de nostra extrema miseria, & consolatione huic opponenda, cujus consortes omnes erunt, qui vero & syncero cordis affectu eum timent, quem vt in nobis excitet æternus Deus, per Spiritum suum, toto pectore precamur.



TER.

TERTIA CONCIO.

Psal: 122.

ROgate quæ ad pacem sunt Hierusalem & prosperentur diligentes te.

Sit pax intra muros tuos: & prosperitas in palatijs tuis.

Propter fratres meos & proximos meos loquar tibi pacem.

Propter Domum Domini Dei nostri, quæram bona tibi.

INter causas publici hujus congressus nostri, concione prima enumeratas, postremam hanc esse diximus: vt pro omnium ordinum incolumitate, pro pace & tranquillitate Ecclesiæ, Politiæ & Oeconomiæ preces ardentiores ad Deum toto pectore conjunctim fundamus. Id enim necessitas summopere flagitare, nobisq; omnibus & singulis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

vtile ac ſalutare fore videtur. Etenim horrendis perturbationibus totum ferè orbem Christianum exagitari, Eccleſiam Chriſti multis magniſq; motibus concuti, Regna in-
Dani. 2. ter ſe collidi, debilibuſq; admodum fulcris & luteis pedibus inniti videmus, bella & ſeditiones inter præcipuos mundi monarchas religionis ergo exardeſcere, antichriſtum partim ferro, partim Sophiſtica pios adoriri, & ipſius Diaboli rabiem & furorem magis magiſq; in Chriſtum & ejjus membra deſæuire non ſine mœrore experimur. Quorum omnium vis & Tyrannis longè majjor eſt, quam vt vllis viribus humanis vinci aut elidi poſſit. Opus igitur erit alio præſidio & auxilio ne à tantis malis quæ Satan ejjuſq; organa Eccleſiæ hoc poſtremo ſeculo inferre conantur, opprimamur, DEI nempe Zebaoth, qui aſſiduis à nobis precibus rogandus erit, vt in circuitu noſtro murus igneus eſſe, iuxta nos excubias agere & hoſtes re-

prime-

primere velit, pacem quoq; & almam tranquillitatem populo suo concedere & omni benedictione corporali & spirituali, propter nomen suum locupletare velit.

Cæterum vt ad harum rerum considerationem & precum ardorem acrius hodie excitemur & inflammemur, explicabimus hâc concione grauissimam Dauidis exhortationem, quâ suorum subditorum & omnium piorum animos excitat, vt pro pace & conseruatione Ecclesiæ & Politiæ assiduè precentur.

Partes Concionis tres.

I. Generalis exhortatio ad omnes pios vt salutem & incolumitatem Ecclesiæ & Reipub. precibus suis Deo seriò commendent.

II. Quæ potissimum à DEO optanda, & cui.

III. Rationes duas annectit, cur ista à Deo petenda sunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

ROgate. Etsi populus Israëliticus præ omnibus in mundo gentibus à Deo electus & in peculium ejusdem solenni pacto ascitus erat,
Deut. 4. Psal. 14
Gens sancta & populus peculiaris,
Rom. 9. cujjus erat adoptio & gloria & fœdera, legis constitutio & cultus & promissio, ex quo CHristus quoad carnem.

Matt. 4. Psal. 145
Hierusalem quoque ciuitas sancta, habitaculum Dei & locus sanctuarij fuit, in quo conuenerunt tribus, tribus Dei in testimonium Israël ad celebrandum nomen Iehouæ, sicut Paulò ante commemorauit Psalmista: Perpetuò tamen inter pessimarum gentium agmina, grassantium rabie & spurcitie, inter horribiles lanienas, confusiones, certamina & pericula, qualia Syrorum, Babyloniornm, Persarum & similium fuere, degere coacti sunt: Ex quibus nunquam eluctati fuissent, nisi diui-

no freti auxilio & tecti præsidio, intolerabilium calamitatum & hostilium impressionum æstum, precibus extinxissent. Eadem etiâm hodie et omnibus seculis Ecclesiæ Christi sors, dum in his terris militat & à Domino peregrinatur manet, quæ continuis afflictionibus & difficultatibus distenta, plurima cum mundo, Satana & confertissimorum Tyrannorum agminibus, certamina decertare cogitur, qui furore & rabie perciti, cursum doctrinæ cœlestis impedire, Ecclesiam Christi opprimere, publicam piorum tranquillitatem turbare, Regna, Ditiones, vrbes, pagos, ærumnosæ Ecclesiæ hospitium præbentia inuadere & delere, quò puro cultui et sanctæ inuocationi amplius non pateat locus, rerum omnium satagunt, eoq; omnes neruos suos conuertunt, vt gladium humano sanguine tinctum, in extremam totius Ecclesiæ perniciem vibrent: Non minus quàm olim Pharao, Sennacherib, Antiochus, Hero-

des, Nero, Iulianus, Decius, & infiniti alij, Testatur id hodie Gallia, Italia, Hispania, Vngaria, Lotaringia, Belgium & aliæ plurimæ nationes afflictissimæ. Neq; externa solum sęuitia & vi aperta oppugnando & procellas persecutionum excitando, tandem quiescit Satan, sed alijs etiam artificijs eam inuadit, & mirabilibus technis & præstigijs adoritur, Sophistica sua mentes fascinare conatur, funesta dissidia, tetra scandala, perniciosa schismata & blasphemas hæreses in ipso Ecclesiæ sinu excitare, & organa sua acrius incitare non desinit, vt moueant in doctrina certamina non necessaria, resq; benè traditas corrumpant: Ac mille per meandros fraudesq; flexuosas, agitat quieta corda: Vt nulla mentis humanæ intelligentia, nullum robur aut potentia tanta esse possit, vt inde suis viribus eluctari, vel aduersus Thragicos hosce Cothurnos consistere valeat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Cum itaq; nouis casibus iactentur quotidie pij, hostesq; habeant, tàm spirituales, quàm corporales, qui ἄσπονδον & ἀκήρυκτον bellum inferre conantur, & quidem longè difficilius, quàm quod proprio marte à fidelibus confici queat. Ideo æquum esse censet Propheta, precibus & gemitibus ad Dei opem confugere & Rogare, quæ ad pacem sunt Hierusalem. Hoc est pro concessis bonis spiritualibus & corporalibus retinendis & conseruandis, & malis auertendis, Deum Zebaoth custodem exigui gregis hujjus assiduè inuocare, & pijs precibus Ecclesiam eidem commendare, ne hostium violentia opprimatur.

Multi ingruentibus tantis malis, pleno gradu, ad humana currunt præsidia, muniunt se potentiorum ope & fauore, Alij auxilia, Diabolorum, quos per Pythones consulunt, implorant, Alij prorsus ab Ecclesia deficiunt & propter persecutionem, agnitam veritatem negant.

Verum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Vcrum Pſalmiſta hoc loco docet, quó in caſu neceſſitatis confugiendum ſit, quæ conſilia & arma capeſſenda, ad demoliendum & ſubuertendum Sathanæ machinationes & munitiones, vt tandem ex tantis malis eluctemur monſtrat, dum nos Rogare velit.

Ardens proinde & aſſidua precatio & inuocatio Dei requiritur, qua corda noſtra inſtinctu ſpiritus ſancti excitata, & mentes in Deum erectæ, vero et flagranti intimi pectoris motu, á DEO ſummo imperatore noſtro, per Chriſtum vnicum Diabolorum & hoſtium Eccleſiæ victorē, petimus & expectamus, felices hujjus difficilis militiæ ſucceſſus, et protectionem contra omnes verſutiſſimi Sathanæ machinationes, certò & indubitatò ſtatuentes, nos clementer exauditum iri, et juxta ipſius dulciſſimas & infallibiles promiſſiones, omnia ſalutaria & optata, toti Eccleſiæ & politiæ impetraturos eſſe, ſicut dulciſſime dicitur Pſalmo 91.

Clama-

Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum, Psal: 50. Inuoca me in die tribulationis &c. Psal: 20. Dextera ejjus saluat potenter, hi in curribus & equis, nos autem in nomine Domini Dei sperabimus. Psal: 21. Inueniet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inueniet qui te oderunt. Pone eos vt clibanum ignis in tempore iræ tuæ, deglutiet eos in æstu suo, &c. Quoniam cogitauerunt in te mala. Psal: 121. Non dormitabit neq; dormiet qui custodit Israël. Iob: 17. Domine pone me iuxta te & cujjusuis manus pugnet contra me. Zach: 12. Matth: 12. Noli timere pusille Grex.

Hæc valida illa potestas est, hoc robur hocq; propugnaculum firmissimum, quo se pij tueri possunt, aduersus omnes insultus Diabolorum & membrorum ejjus. Non enim patitur Dominus se timentes & inuocantes & sub signis suis stipendia facientes, prædam hostibus fieri: sed salu-

salutem præstat in tempore dextera ejjus, sicut euidentissimè docent exempla omnium temporum: Populi in Egypto, Mosis, Gedeonis, Samsonis, Dauidis, Ezechiæ, Iosaphat, Iudith & aliorum piorum, qui magis precibus quâm armis preliati, de potentissimis & numerosissimis hostibus victorias multas & miraculosas obtinuerunt & triumphos reportarunt gloriosissimos: vt Psalmo 20. dicitur: Ipsi prostrati sunt & ceciderunt, nos autem surreximus & erecti sumus. Fremant igitur hostes, ringantur, superbiant, qui habitat in cœlo irridebit eos & irritos faciet omnes conatus illorum, fortior enim est Dominus ad propugnandum, quàm hostes Ecclesiæ ad oppugnandum, vt Cyprianus ait:

Deseruiunt hæc nostræ instructioni & consolationi, qui cœlestis Hierusalem inquilini sumus & turbulentissimum hoc seculum viuimus: quando (vt dictum est) odijs & armis omnia ardent, vt fide & preca-

precatione pugnemus, ſi quando periculis, perſecutionibus, ærumnis, â Sathana claſſicum canente, & reliquis ejjus aſſeclis, juratis Chriſti hoſtibus illatis, expoſitos nos videamus, & caueamus ne meticuloſi militis inſtar, in fugam verſi, clipeum ſalutis abijciamus, animum deſpondeamus, trepidemus, fugiamus: ſed promiſſionibus diuinis in ſpem bonam erecti, mente in cœlum exporrecta, veræ confeſſionis conſtantiâ & quadam animi παρρησία decertantes, nos, noſtraq; certamina & pericula, ſummo imperatori & Duci Skadai commendemus & tranquillis mentibus defenſionem, victoriam, felicem exitum, pacem & omnia ſalutaria ſine heſitatione petamus & expectemus, freti merito & interceſſione ſummi victoris & triumphatoris mortis, Diaboli, inferni, Ieſu Chriſti: ad imitationem omniũ ſanctorum, qui in eadem militia ante nos conſtituti, animoſè decertarunt, inq; hoc ligno vicerunt. Hoc Da-

uidis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

uidis illud Rogate, est, ad quod Ecclesiam omnium temporum sedulò hortatur, sicut & Ieremias suis Iudæis in exilio suaserat, vt vota seriò facerent pro imperio Babylonico,
1. Tim. 2. & Paulus similiter singulari studio hortatur, vt in Ecclesia fiant precationes pro tranquillitate status imperiorum & politiarum.

DE SECVNDA PARTE.



Væ potissimum à DEO optanda & roganda sunt & cui, hac parte docet Psalmographus nempe.

1. Quæ ad pacem sunt Hierusalem.
2. Vt sit pax intra muros.
3. Prosperitas in palatijs.

Pacis vocabulo phrasi Hæbraica omnem prosperitatem, rerum salutarium affluentiam & perfectionem significat, eam hoc loco duplicem constituit vates, vnam Hierusalem, seu Ecclesiæ: Alteram intra muros, seu politicam. De

De vtraq; dicam quantum præsens tempus & locus permittit.

Pax Hierusalem, siue Ecclesiæ Christi, mutua est conuenientia Dei & hominis, Dei quidem recipientis hominem in gratiam propter meritum & intercessionem filij sui & donantis omnia salutaria, quibus pax illa conseruatur: Hominis verò fide accipientis omnia hæc & vero cordis affectu stipulantis Deo obedientiam, constantiam & gratitudinem in tota vita.

Hæc à solo Christo communicatur, qui pacificando per crucis suæ mortem & sanguinem, æterno patri delictis totius mundi horribiliter offenso, omnes in se credentes reconciliauit, vt dicitur Esaiæ 53. Castigatio nostra super illum, vt nos pacem habeamus. Iohan: 14. In me pacem habeatis, pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.

Cœterum quærat aliquis. Quæ pax esse potest cum Ecclesia semper cruci subjecta sit, & hominum vita

perpetua sit militia? Respondeo.
Iob.14. Longè diuersam esse hanc ab ea, quam mundus quærit, sicut ipse etiam Christus Ioh: 14. testatur. Nam ab hac non excluduntur (vt multi somniant) pericula, tentationes & calamitates, quæ indiuidui piorum
2.Tim.3. comites esse solent, Actor: 14. Sed complectitur omnia illa, quæ ad veram & solidam hominis tranquillitatem in mediis etiam afflictionibus faciunt, & sunt præcipuè hæc.

I. Tranquillitas cordis & conscientiæ, & vera consolatio, orta ex agnitione veri Dei, quem scimus & indubitatò statuimus, nobis placatum propter Christum mediatorem, pacis principem, fide apprehensum. Hanc nullæ tentationes, nulla seculi hujjus incommoda turbare possunt, eâ etenim confirmati, omnes terrores animi, omnia aduersa vincere omnesq; Diaboli insultus profligare possumus. Roma: 5. Iustificati pacem habem9 ad Deum etc. Colos: 1. Phil: 4. Pax quæ exuberat omnem sensum

sensum custodiat corda vestra: & Basilius præclarè inquit: Tum quidem maximè pacem in te facit Deus, cùm salutari doctrina mentẽ tuam pacat.

Hæc pax impijs non est, qui semper conscientiam se accusantem & damnantem, circùmferunt.

II. Facit ad pacem Hierusalem, quod in genere humano colligat sibi æternam Ecclesiam, voce Euangelij filij sui, instituit ministerium sanctum, quo gratiam suam offert, noticiã sui accendit, regenerat mentes, preces exaudit, & æternum pacis fœdus inter Deum & totum cœtum credentium erigit et sancit. Hujjus cum et nos participes facti simus, studeamus depositum hoc salutare retinere, sine quo pax nulla esse potest, sed perpetuæ manent inimicitiæ.

III. Consistit pax Hierusalẽ in protectione ejjusdẽ Ecclesiæ & profligatione omniũ hostium ejjus. Quamuis enim certaminibus perpetuis obnoxia sit, quæ illi aduersus mundum & ejjus principem, peccatum, mor-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

tem et propriam carnem decertanda
Psal. 91. sunt: Tuta tamen sub ipsius præsidio & tutela degit, quæ longè firmior est, quàm vt vlla hostium vi elidi aut eludi possit, et licet quidam quasi milites in acie cadant: Manet tamen totum corpus Ecclesiæ, ad sæculi vsq; consumationem: dum ille partes ejjus tuetur, mandans angelis suis vt castra metentur circa eam, & tam excelsa tamq; solida mœnia extruant, vt nullus Tyrannorum ea transcendere, aut transuerberare, nulla potentia, nullæ insidiæ expugnare aut euertere possint, sicut dulcissimè apud Prophetam dicitur:
Esai. 37. Ego protegam ciuitatem istam: & CHristus Matth: 16. Portæ inferorũ non præualebunt aduersus eam. Rom: 8. Zach: 12.

IIII. Facit quoq; ad pacem Hierusalem, quod doctrinam cœlestem & ejjusdem obsignationes Sacramenta, pura & illibata, ab omnibus corruptelis Diabolorum, Hæreticorum & fanaticorum hominum conseruat

Deus.

Deus. Etenim ab initio nunquam ceſſarunt, neq; etiamnum ceſſant Diaboli, lucem Doctrinæ cœleſtis extinguere: vel ſi hoc non poſſint, ſaltem deprauare, fideiq; vnitatem diſſoluere, diſtortas etiam mentes, Pſeudologos & falſos doctores excitare, qui vocem legis & Euangelij, de eſſentia & voluntate Dei, de perſona & officio Mediatoris Chriſti, de peccato, pœnitentia, Sacramentis & alijs fidei noſtræ articulis labefactent & conuellant. Tales vbi ſunt, pax nulla Hieruſalem reliqua manet. Horum igitur ardentem conatum, vt verbo potentiæ ſuæ reprimat & confundat Deus, aſſiduè à nobis eſt rogandus.

V. Conſeruatur diuinitus pax Hieruſalem, quando pios & ſalutares magiſtratus, nutricios Eccleſiæ concedit, quibus religio & pietas cordi eſt, nec quidquam antiquius, quàm vt eam ſua ope iuuent, hoſpicia & halcyonia illi prebeant, honeſtarum diſciplinarum ſtudia propagent,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Scholas erigant & locupletent, doctrinæ corruptelas ad verbi diuini normam examinatas emendent, ſcandala & abuſus tollant, blaſphemias prohibeant, diuinæ legis violationem debita ſeueritate puniant, & à periculis impendentibus laterum objectu fortiter defendant &
Pſal. 2. propugnent. Sicut olim pius Ezechias, Ioſias, Conſtantinus, Carolus Magnus, Chriſtianus 3. Fredericus 2. Iohannes Fredericus, & ſimiles noſtro ſeculo.

VI. Dum continua ſeriè mittat pios & ſalutares doctores, quorum pedes ad annunciandum Euangeli-
Eſai. 52. um pacis, vt Propheta loquitur, ſpecioſi ſunt. Qui verbi diuini pabulo, gregem ſibi commiſſum paſcunt, natiuam doctrinæ cœleſtis ſententiam tuentur, & indefeſſo ſtudio Dei gloriam & ſalutem Eccleſiæ quærunt & propagant. Tales aliquot omnibus ſeculis donat Eccleſiæ ſuæ Deus, quorum etiam opera & induſtria pax & tranquillitas conſeruatur.

Facit

VII. Facit ad pacem Hierusalem, quando verbi diuini auditores tempus visitationis suæ agnoscentes semen salutis verbum DEI seria animi attentione audiunt, & puro corde custodiunt: Non in vanum gratiam ejjus accipiunt, nec cum impijs & vesanis Iudæis & alijs Empæctis, pro ludibrio habent ministerium & verbi ministros, neq; secundum desideria & concupiscentias carnis viuunt: sed iuxta voluntatem Dei, in verbo reuelatam, vitam suam instituunt, in omni pietate & honestate, & dignos vocatione sua fructus edunt. Hacq; ratione cauent, ne propter suam oscitantiam & ingratitudinem, lux doctrinæ cœlestis extinguatur & in justissimas pœnas, vt sunt, bellũ, fames, pestis, quæ semper contemptores diuinos manent, incurrant. Deut: 28. Luc: 19. Matth: 23.

VIII. Consistit pax Hierusalem in mutua concordia, cùm docentium, tùm discentium, quæ non solum ornamentum, sed κειμήλιον

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Ecclesiæ præciosum est, quo vera pax & vnitas inter Christi membra, conseruatur, quando illi, qui alijs doctrina & morum integritate prælucere debent, inter se sunt vnum, ex verbo DEI docent vnum & auditores suos syncero amore proiequuntur: Et hi rursus cùm se inuicem, tùm docentes mutua beniuolentia complectuntur, alius de alio recte sentit, judicat, loquitur, iuxta, præceptum Apostoli Philip: 2. Similiter affecti sitis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idem sentientes, ne quid fiat per contentionem & inanem gloriam, sed per humilitatem animi, alium quisq; præstantiorem se existimet, ne sua quisq; spectetis, sed vnusquisq; quæ sunt aliorum, & Ephe: 4. Studete seruare vnitatem fidei per vinculum pacis: hujus illustrè exemplum habemus, Acto: 4. Eorum qui crediderant, erat cor vnum & anima vna.

Hæc sunt præcipuè, quæ ad pacem Hierusalèm spectant, & sine

qui-

quibus Ecclesiæ incolumitas diu sarta, tecta conseruari nequit. His enim fulcris remotis, omnia ruinis repleri necesse est. Quapropter imis pectoris nostri gemitibus assiduè hæc à Deo petamus, & quantum in nobis est conseruare studeamus.

Cui optanda hæc est?

Hierusalem, id est veræ Ecclesiæ Christi, cujjus typus erat terrestris illa Hierusalem, illustris sedes doctrinæ Prophetarum, CHristi & Apostolorum & testis mirandorum operum ejjus, vnde etiam Apostoli excellentissimis donis spiritus sancti instructi & ornati, in totum terrarum orbem, ad prædicandum omni creaturæ, à Christo post gloriosum à morte Triumphum emissi sunt, Matth: 28. Marc: 16. Ideo etiam angelus apud Prophetam. Funiculum Zach. 2. ejjus ab oriente in occidentem extendit, significans inde ad extremos terræ terminos, verbum Christi saluificum propagatum iri. Hujjus spiritualis Hierusalem cum & nos no-

ui incolæ simus (Heb: 12. Accessistis ad montem Sion & ciuitatem Dei viui Hierusalem) pro ejjus etiam pace assiduè rogemus.

Et prosperentur diligentes te.

Vt subditorum suorum animos, ad hoc eximium & necessarium pietatis studium excitet, annectit insignem promissionem: *Omnes diligentes Ecclesiam.* Hoc est, qui se ejjus societati adjungunt, seriâ ejjus cura afficiuntur, & pro ejjus defensione laborant, à Deo vicissim verâ prosperitate & salute benedictum iri, iuxta promissionem: Ego bene-
Gen. 12. dicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus.

Sit pax intra muros tuos.

II. Secundum quod Hierusalem optari vult Dauid, Pax est intra muros. Hæc est alma illa vitæ Togatæ tranquillitas, qua amicè & pacifice inter se degunt omnes Reipublicæ status & ordines, iustè exercentur communis vitæ officia, contractus, nego-

negotiationes, templum, Scholæ, forum, judicium: Audiuntur conciones & consilia sapientum, florent res œconomicæ, & vt Poëta ait, Pace bidens vomerq; vigent, &c. Sine hac politica & externa securitate Ecclesia diu tranquilla esse non potest, & ideo etiam seruantur diuinitus Regna & Respub: vt Ecclesiæ filij Dei afflictæ hospitia & tuta Halcyonia præbeant: Non secus ac olim politia judaica, propter promissionem de venturo semine conseruandam & propagandam, mirabiliter inter medias persecutionum procellas, in ipsius Christi aduentum seruata est.

Cœterum in quibus alma hæc tranquillitas consistit operæ precium fuerit videre, vt ea etiam nobis à Deo dari impensius exoptemus.

Primum igitur, quod ad pacem ciuilem & externam conseruandam maxime requiritur, protectio diuina est. Vt quemadmodum ipse DEVS autor est status politici, Ita etiam velit huic suo ordini adesse,

cum-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

eundem perpetuò conseruare, firmare, stabilire, ab externis & internis hostibus tueri, firma circa eam præsidia collocare & excubias agere, hostium machinationes detegere & propellere atq; eandem omni florere felicitate velit. Nisi enim Dominus custodiuerit ciuitatem, frustra vigilant, qui custodiunt eam. Dani: 2. DEVS tranfert Regna & constituit.

Psal. 127

II. Conseruatur pax intra muros dùm pios & salutares Magistratus largitur, qui vt Christum osculantur, ejjus se imperio subjjciunt, & Ecclesiæ defensionem suscipiunt (vt antea diximus) ita etiam munus suum ad subditorum & totius Politiæ salutem exequuntur, sunt patres patriæ & ποιμένες λαῶν, syncero amore suos complectuntur, curam illorum solicitè agunt, eos in justicia & judicio regunt & gubernant, bonos præmijs ornant, malos sine personarum acceptione puniunt, scandala tollunt, non pro libidine sua, quod libet

Rom. 13.

bet dicunt aut faciunt, non aulam suam fucis implent, non sycophantis aures præbent, non luxu diffluunt, nec assiduè crapulæ & alijs illecebris indulgent: Sed potius omnia ea, quæ ad incrementum Reipublicæ, & sine quibus publica tranquillitas conseruari nequit, fideliter faciunt et exequuntur. Hinc apud Danielem comparatur arbori patulæ & frugiferæ sub cujjus frondibus & ramis teguntur, pascuntur & tuto requiescunt animalia. Dani: 4. Deut: 17. Psalm: 2, 101. Esai: 49. Roman: 13. Et quia humana sapientia aut robur, non par est tanto oneri, nec semper quæ expediat videt Magistratus, sæpè errat, turbatur affectibus, seducitur malis consultoribus, auocatur illecebris, &c. Ideo vigilandum & orandum, cùm principibus, tùm subditis: vt summus ille rerum moderator, qui dat salutem regibus spiritu suo sancto adesse velit, in pietate & justicia solium firmare, salutaria consilia suggerere, largiri feli-

1. Tim. 2.

Psal. 145

felices rerum euentus, auertere eos, qui bella volunt, dissipare consilia Achitophel, &c. Atq; hæc est illa, quæ Regna firmat pietas.

III. Conseruatur pax intra muros, quando ad justitiæ normam & præscriptum honestarum legum (quæ vera gubernandi ratio à Platone dicitur) vnicuiq; quod suum est tribuitur, controuersiæ secundum jus scriptum dirimuntur. Ita tamen, vt ἐπιείκεια justis de causis debito loco & tempore adhibeatur. Non regnat προσωποληψία aut δωροφαγία, nullum enim vitium in Magistratu Rempub: gerente tetrius, quàm si suppressa veritate & justicia personam accipiat: Nec quidquam iniquius, quàm quæstui Rempublicam habere, & in ea propriarum vtilitatum mercaturam exercere. Quando igitur magistratus auaritiæ laqueis irretitus, munerum captione jus inflectit & judicium peruertit: Publicam violat tranquillitatem & vi injusticiæ sic etiam sedi-

tionis

tionis autor existit. Deut: 27. Maledictus, qui peruertit judicium aduenæ & pupilli & viduæ. Ieremiæ 22. Facite justiciam & judicium & liberate vi oppressum de manu calumniatoris. Psalm: 82. Dixi Dij estis, recte judicate filij hominum. Non exercetis judicium hominis, sed Dei, 2. Par. 9
inquit pius Iosaphat. Dixit Iethro Exo. 18.
Mosi: prouide de omni plebe, viros sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas & qui oderint auaritiam.

IIII. Conseruatur pax intra muros vera obedientiâ & reuerentia subditorum erga superiores quos à DEO datos, & supra se constitutos agnoscunt, eos in honore habent, pro ijs assiduè orant, obsequium in rebus licitis præstant, vectigalia & annua tributa sine morositate soluunt, publica onera alacriter ferunt, ad illorum infirmitates conniuent, & si iniquiores interdum fuerint, DEUM pro ijs orant, vt conuertantur: Injurias, justo sæpè 1. Tim. 6

Dei

Dei judicio illatas, patienter ferunt & in justi judicis sinum deponunt. 1. Pet: 2.

V. Dum omnes ordines superiores & inferiores mutua sese beniuolentia complectuntur, et quod quisq; potest ad communem vtilitatem refert, non secus ac membra vnius corporis, pietatis fraternæq; dilectionis officia mutuò præstant, non seditionis aut armorum ciuilium autores sunt, nec mutuis ardent odijs, discordia enim ciuium (inquit Salustius)

Luc. 11. Pestis est Reipub. Non exercent in contractibus injusticiam, dolum aut imposturam, non rapinam, non violentiam, non vsuram, &c. Sed in omnibus ad Ecclesiæ, Reipub. & Oeconomiæ salutem et ædificationem spectantibus, iunctis animis consentiunt, & harmoniam constituunt, sicut præcipit Paulus 1. Cor: 1. Non

Psal. 133 sint inter vos dissidia, sed continuum corpus sitis, eâdem mente, eâdem sententia. Item 1. Cor: 12. & Christus ipse, Lucæ 11. Omne Regnum

in

In se diuisum desolabitur, &c. O Beatam ciuitatem, intra cujus muros hæc reperiuntur, & certè minus laborarent hodie Regna & Respub. si hisce fouendis & conseruandis, omnes ex æquo studerent.

Et prosperitas seu abundantia in turribus. Tertium quod Hierusalem assiduè optari vult Dauid, est *prosperitas in palatijs.* Quo nomine omnem omnium rerum salutarium, ad hanc vitam alendam, sustinendam conseruandamq́ pertinentium copiam intelligit, cum diuina benedictione conjunctam: vt sunt conseruatio Oeconomiæ, liberorum felicitas, laborum & vocationis successus, fertilitas agrorum, vber annonæ prouentus, fœcunditas gregis, affluentia rerum necessariarum, commoda aëris temperies, sanitas corporis, & omnis generis felicitas, quemadmodum ipse Dominus Iohelis 2. pijs promittit: Ecce ego mittam vobis frumentum, oleum, vinum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

num & replebimini eis. Deut: 28. Psal: 128.

DE TERTIO.

PRopter fratres meos & propinquos, loquar pacem tibi.

Propter Domum Domini Dei nostri quæram bona tibi.

POstrema hujjus Psalmi pars, duas continet rationes ab vtili sumptas, cur assidue pro pace & salute Ecclesiæ, Reipublicæ & œconomiæ rogandum sit, & cur omnes labores, studia & operas nostras, eò conuertamus, vt omnia in ijs prosperè agantur, nempè vt salus proximi & gloria nominis diuini, quàm latissime propagetur, & perpetuò inter nos habitet Deus.

1. *Propter fratres & propinquos.*

Fratres, & propinquos vocat non eos modò, qui sanguinis necessitudine, aut carnali propagatione inter

inter ſe deuincti ſunt, ſeu fratres in Adam: Sed pios omnes notat qui in Chriſto adoptati & fideliſſimi fratres inter ſe effecti, vnum patrem in cœlis agnoſcunt, eandem doctrinam, fidem & confeſſionem amplectuntur, eaſdem tentationes & Diaboli inſidias ſuſtinent, & eandem quoq; in cœlo hæreditatem expectant. Vt hi tanquam membra Chriſti, vinculo ſynceræ charitatis perpetuò ſint connexi & magis magisq; in vera cognitione Chriſti, in fide, in pietatis exercitiis, ſpe, patientia & confeſſionis conſtantia, creſcant, ac tandem ſalutis & gloriæ æternæ conſortes fiant, omni ſtudio & conatu laborare quemq; Chriſti fidelem oportet, ſicut Petrum hortatur Chriſtus: Tu conuerſus conuerte fratres tuos: ſic Moſes & Paulus exoptarunt pro fratribus anathema fieri. Luc. 22. Rom. 9.

Altera cauſa finalis, *Propter Domum Domini Dei quæram bona tibi.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Domus Dei electiſſima Eccleſia eſt, (cujjus typus vt ſupra monui Ieruſalem erat, domicilium puri cultus Dei) in qua habitat ipſe per verbum & Sacramenta, & filius Immanuel credentibus cohabitat, eos viuificat, inſtruit, alit, honorat, cuſtodit, nec vllum pij patrisfamilias opus negligit aut prætermittit. Hæc veluti πανδοχεῖον eſt, in cujjus familiam recipiuntur omnes, qui veram agunt pœnitentiam & fide amplectuntur Euangelium de IEſu Chriſto, ſicut docet Paulus Ephe. 2. Vos eſtis conciues ſanctorum & domeſtici Dei ſuperſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.

Joh. 14.

Hujjus igitur domus cauſa quærenda ſunt ei bona, pax & tranquillitas: propter hanc omnes labores et ſtudia exantlare, ærumnas & moleſtias deuorare, injurias & calumnias perferre debemus, vt inter nos perpetuò ædificentur ejjus pomœria indies latius proferantur, atq; ſpiritus

ritus tranquillitate & felicitate con-
stabilietur, Quo enim amplior sit
hæc domus Dei, tantò etiam magis
nomen ejjus inter nos laudibus pro-
uehitur & amplificatur.

Ejjus proinde incolumitate nos
affici atq; summo desiderio teneri
oportet, cum Dauide optantes & di-
centes: Concupiscit & deficit anima Psal. 84.
mea in atria Domini. Vnum petij â Psal. 27.
Domino hoc requiram, vt habitem
in domo Dei mei. Beati qui habi-
tant in domo tua, in sæcula lauda-
bunt te.

Hæc breuiter de hac insigni Pro-
phetæ exhortatione hodie dixisse
sufficiat: Restat vt & nos salutari
ejjusdem mandato obsequuti, vota
ardentia pro omnium & singulo-
rum nostrorum salute impetran-
da communiter fundamus,
corde & ore di-
centes.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

ORDO PRECATIONVM
Epistolarum & Euangeliorum quæ singulis diebus recitabuntur.

O Allmectige oc Retfærdige GUD / Wi arme syndige Menniske hiertelige oc sørgelige bekiende for dig alle vore mangfoldige misgierninger oc groffue Synder / met huilcke wi effter allehaande Hedningers vederstyggelighed haffue gruelige syndet imod dig / oc giort alt wræt / foractit dine Ord / oc icke atlyde dine Tienere / som i dit Naffn haffue Predicket for oss / Saa wi alle oc huer vdi sin sted oc stat / ere skendelige vigede fra dig / met vort wgudelige væsen oc store wtacknemmelighed / huilcket wi haffue beuist dig for din store Naade oc velgierninger / oc der met opuact din Retfærdige vredis heffn oc straff offuer oss. Wi bede dig for din wsigelige godheds / oc for din elskelige Søns Jesu Christi Død oc Pinis skyld / Vdøss

icke

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

icke din vredis grumhed offuer oss / oc straff icke som vor store wgudelighed fortient haffuer / Men ver oss mild oc Barmhiertig / oc giff oss it angerfult oc sand Penitentzis Hierte / vdi en stadig tro at omuende oss til dig vdi denne Naadens tid. Bortag eller oc naadelig formilde den velfortiente straff / som oss vissselige for Syndens skyld offuerhenger / Lad oss icke falde vdi vore grumme Fienders Hender / paa det din lille haab oc Christne Kircke som du vdi disse Lande ved dit hellige Ord samlit haffuer / icke skal jammerlige atspredis eller plat ødeleggis / men hielp naadelig at wi altid maatte bliffue Lemmer i din Menighed / oc frycte oc tiene dig / oc her effter skicke oss effter din Guddommelige oc Faderlige vilie / oc siden bliffue euig salige / for samme din eniste Søns JEsu CHristi vor Frelseris skyld / som met dig oc den hellig Aand æris oc prisis / en sand Gud i Euighed /

AMEN.

LOCO

LOCO EPISTOLÆ
Textus hodiernus:
2. Paral: 36.

EVANG: Lucæ 17.
Initium: Sicut in diebus Noë.
Finis: Die qua filius hominis reuelabitur.

SECVNDA PRECATIO.

O Miskundige / Langmodige / oc gode Gud / hiertens allerkiæriste Fader / Wi elendige oc suage Creature / som for dig intet andit ere / vdi alt vort væsen oc Natur end Støff oc Græss / som snarlige forsuinder oc affalder / Oc icke kand vdi nogen maade taale eller imodstaa din Retferdige vredis haffn oc straff. Wi Hiertelige tacke dig / at du aff din Godhed saa naadelige haffuer handlit met oss / Oc icke betalit oss / som wi alle oc huer vel for-

fortient haffde / men Faderlige forbarmit dig offuer oss dine fattige Børn oc Henders gierninger / oc mit vdi din vrede tenckt paa din store Naade oc Barmhiertighed. Wi bede dig at du for din Søns blodige Døds oc Forbøns skyld / vilt forlade oc tilgiffue oss alle vore mangfoldige oc blodige Synder / oc bortkaste alle vore misgierninger vdi Haffsens dybhed / at de icke skulle anklage oc fordømme oss / lad din store Barmhiertighed som strecker sig fra Himmelen oc til Jorden / oc varer fra Euighed til Euighed / vere mectig offuer oss / Bethee oss dit Faderlige Hierte / oc handle met oss som dine elendige dog elskelige Børn / oc met din krafftige Aand styrcke oss imod vor store suaghed / at wi kunde stedse fryete oc tiene dig / oc ihukomme dine Ord oc hellige Pact / oc altid effter din vilie oc befalning skicke vort Liff oc Leffnit / vdi all Hellighed oc Retferdighed / paa det wi maatte bliffue dine elskelige Børn / Oc met vor kjære Broder JESV Christo arffue

 det

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

det euige Liff oc Salighed / huilcken som met dig oc den hellig Aand leff-uer oc regnerer / en sand Gud vdi all Euighed /
AMEN.



LOCO EPISTOLÆ ex Psalm: 103.

EVANG: Marci 11.
Initium: Respondens Iesus dixit eis, habete fidem.
Finis: Pater qui in cœlis est remittat vobis offensas vestras.

TERTIÆ DIEI PRECATIO.

O Mectige Gud Zebaoth / O Fredsens Første JESV Christe / O trøstens Gud du værdige hellig Aand / Du vedst at wi elendige Mennisker for vore Synders skyld / ere stædde vdi stor fare oc wlycke / som

som Dieffuelen / Verden / vort Kiød oc Blod / Tyranner / oc dit hellige Ordis Forfølgere / optencke daglige imod oss / aff huilcke wi ingenlunde aff vor egen mact kunde befries / eller vdi nogen maade beskiermis / Vden du stercke GUD naadelige hielper oc beuarer oss / Wi bede dig at du naadelige vilt beskierme din fattige elendige Kircke / som du ved dit Ord samlit haffuer / fra Sathan / Tyranner oc falske Lærere: Beuare dit hellige oc salige Ord / oc alle Ordsens Tienere vdi en reen Lærdom oc en Christen samdrectighed. Giff fred inden vore Mure / oc lyckSalighed vdi vore Palatzer / Affuend fra oss Krig / Blodstyrtning / Oprør / Pestilentze / Dyr tid / oc all anden vel fortiente straff / ver du vor beskyttere oc beskiermere mod alle vore Fiender / Aandelige oc Legomlige / Beuar vor Naadige Dronning / Dronning Sophia / vdi langvarendis sundhed oc velferd. Holt vor Naadige Herre Printz oc vdualde Koning Hertug Christian vnder

din

din Guddommelige beskiermelse / oc
naadelige beuare hannom vdi din san-
de fryct / Lad hannom voxe oc forøgis
vdi vijsdom / Naade oc forstand / oc alle
Kongelige dyder. Du oc Naadelige
vilde beskierme alle andre Kongelige
Børn / met dette Kongelige husis Suo-
gre / Frynt oc Blodsforuante / fra all
wlycke oc fare. Beskierme disse Rigers
oc Landis Regentere / Raad oc Adel /
oc all anden øffrighed / met alle deris
Vndersaatte oc Indbyggere. Vel-
signe oc beuare disse Riger oc Lande /
Byer oc Steder / Huss oc Hiem / oc
alt hues du aff din Faderlige godhed
oss forlent haffuer / fra all wlycke oc
skade. Din Guddommelige styrcke oc
krafft / sætte wi imellom oss oc alle vo-
re Fienders grumhed oc listige anslag /
oc aldelis giffue oss vnder din Fader-
lige beskytning til Liff oc Siæl. An-
namme oss O HERRE JEsu vdi
din krafftige beuaring / Oc holt din
mectige Haand offuer oss / saa ville
wi stedse oc altid tiene oc tacke dig / oc
met alle Engle oc Vdualde prise oc
ære

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

ære dig euindelige. Du som leffuer oc regnerer met din Fader oc hellig Aand / en sand Gud fra Euighed oc til Eurig tid/
AMEN.



LOCO EPISTOLÆ:
Textus hujjus diei ex
Psal: 122.

EVANG: Iohan: 4.
Initium: Patres nostri adorauerunt in hoc monte.
Finis: In spiritu & veritate adorent.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

HAFNIÆ
EXCVDEBAT
IOHANNES STOC-
KELMANNVS.





ANNO

M. D. XCIII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

E-

BAT
STOC.
VS.




D

III.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1638 8° copy 1